



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510


Liber CXLI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

immor-
itaque
ob tam
perpe-
et enim
rem ta-
is plu-
est con-
uescere
rte su-
is vin-
nominis
vestra
hære-
esafida-
re, sed
volui-
um, ut
us no-
vitatem
dore il-
quidem
a



HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
LIBER CXXI.



PAULUS III, ROM. PONT.
CAROLUS V. IMP. OCC.

§. I.

*Henricus VIII. Angliæ Rex sextis
nuptiis desponsatus.*

Sæc. XVI.
A.C. 1543.

Postquam Henricus VIII. Angliæ Rex
illam quoque, quæ ex ejus uxori-
bus ultima fuerat, mortis supplicio
affecerat, ac sesqui annum viduus per-
manerat, sexta jam vice matrimonium
ini-

Sander. l. I.
p. 202.
Burnet. l. 3.
p. 447.

Sæcul. XVI inire statuit, ac præ ceteris Catharinam
A.C. 1543 Parram relictam Baronis Nevili Latimeri conjugem selegit. Erat illa foemina ingenii acie ac morum comitate percelebris, sed ad Lutheri sectam multum propensa, pro more illius ævi, ubi quilibet in Anglia pro arbitrio suo religionem seligere jamjam incœperat. Ceterum Catharina, cum foemina esset humilis, sapiens, solersque, facile Henrici votis plene satisfacere potuisset, si in eo non nisi Regem ac Maritum habuisset: ast brevi Henrici tanquam supremi Ecclesiæ capitis indignationem incurrebat, cum juxta hanc prærogativam integre, ut existimabat Rex, ejus opinionibus, prætensisque juribus suffragata non esset.

§. II.

Quidam Protestantes Regis jussu Vindesorii ad rogam damnati.

Burnet. l. c.
p. 447.

Cum Catharina esset ejusmodi Principi connubio juncta, qui pro summo imperio non nisi ea, quæ ipsemet fide divina credebatur, a cunctis pariter eadem fide teneri voluit, hinc caute admodum cum Rege versari cogebatur, unde sub primis matrimonii sui auspiciis nequidem apud Maritum suum deprecari audebat pro vita trium Protestantium, qui adversus Missæ Sacrificium declamasse, ac quosdam Calvinii libros divulgasse ac-

cu-

cusabantur, ac Vindeforii ignis supplicio sublati fuere. Præterea Senatores Regi supplicabant, ut nonnullis facultatem concederet, vi cuius Vindeforii lustrari possent quædam civium ædes, in quibus plures libros contra sex articulos detineri suspicio habebatur: Promulgatur itaque Regis mandatum, moxque plures Viri ad carceres rapiuntur, nec non libri, in quos inquirebatur, deprehenduntur: nec minus detegebatur conjuratio, cuius auctores per eandem urbem vultibus ad equorum caudas conversis equitare, atque ad prodendam supplicii causam scripturas fronti affixas gestare compellebantur, & postea Vindeforii, Raidingæ ac Neoburii, ubi tum Curia agebat, ad ignominiosum cippum torque ferrea alligati publice exponebantur.

Sæcul. XVI.
A. C. 1543.

Sub idem quoque tempus nonnulli in Cranmerum Cantuariensem Archiepiscopum conspirabant, eumque Henrico Regi infensum reddere nitebantur; verum illi, qui Religionis Catholicæ studio flagrabant, consilii sui successu frustrabantur, eoquod Henricus primo quidem accusationum articulis contra hunc Prælatum propositis aures præbere simulavit, postea vero ipsum Archiepiscopum de tota rei serie edocuit, eique præcepit, ut cum suis accusatoribus iudicio

Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. L con-

Sæc. XVI. contenderet, id vero Cranmerus facere
A.C. 1543 recusabat, veritus, ne sibi majorem ad-
 huc hostium numerum accerferet: Un-
 de hæc conspiratio adeo non huic Præ-
 suli nocuit, ut potius eidem major inde
 benevolentia apud Regem accresceret.

§. III.

Bonifacii Ferrerii obitus.

*Clacon. in
 vit. Pantif.
 t. 3. p. 351.
 Bembo in ep.
 l. 9. ep. 37 &
 l. 15. ep. 14.
 Aubery vie
 des Card.
 Ughel. in
 Italia sacra*

Hoc anno summus Pontifex nullum
 ex Prælatibus ad Cardinalium digni-
 tatem evexit, quamvis sacrum Colle-
 gium quinque Purpuratos amisisset, quo-
 rum primus erat Bonifacius Ferrerius
 Vercellensis, alterius Cardinalis Joan-
 nis Stephani, qui idem nomen gerebat,
 frater ac Sebastiani Ferrerii filius. Re-
 ferunt, quod Ferrerii familia ex Floren-
 tina Acciajolorum stirpe descendisset,
 nec non Sebastianus fervente bello Guel-
 phos inter & Gibellinos relicta Floren-
 tia in Longobardiam transmigrasset,
 summusque Pontifex Leo X., ut obse-
 quia sibi a Sebastiano præstita grato ani-
 mo compensaret, ejus filium Bonifacium
 die prima Julii anno salutis millesimo
 quingentesimo decimo septimo purpura
 decorasset. Porro Bonifacius voca-
 batur Eporediensis Cardinalis, eoquod
 hujus urbis Episcopus esset, progressu
 tamen temporis Niciæ, ac Vercellis in
 patria sua Antistes renuntiatus, sacris
 in-

interfuit Comitibus, in quibus Adrianus Sæcul. XVI.
 VI., Clemens VII. & Paulus III. in A.C. 1543.
 summos Pontifices eligebantur. Non-
 nullorum opinio fert, quod Paulus III.
 hunc Cardinalem ad hoc munus selege-
 rit, ut Concilio primum Vicentiæ indi-
 cto, ac postea Tridenti celebrato præef-
 fet: ast ut res se habuerit, id omnino
 certum habetur, quod ab eodem Ponti-
 fice anno Christi millesimo quingentesi-
 mo quadragesimo Legatus Bononiam
 fuerit decretus, ibidemque Collegium
 instituerit ad sustentandos nobiles Pede-
 montanos, quorum electio atque appro-
 batio ad Ferrerianæ familiæ successores
 spectabat. Præterea idem Cardinalis
 Episcopales Vercellensis Ecclesiæ ædes
 plurimum auxit, ac tria castra ad suam
 Ecclesiam Eporediensem spectantia a
 fundamentis restauravit: tandem vero
 hoc anno Domini millesimo quingente-
 simo quadragesimo tertio die secunda
 Januarii Romæ obiit, ejusque cada-
 ver in Ecclesia sanctissimæ Trinitatis
 expositum, postea ad sancti Sebastiani
 ædes ab ipsius Patre in Bugellano Ver-
 cellensis Diœcesis oppido exstructas
 fuit translatum, ibique terræ man-
 datum.

Sæcul. XVI.

A.C. 1543.

§. IV.

*Cardinalis le Veneur mortuus.**Ciac. p. 525.**Joan. Chen.**de Episcop.**Gall.**Fris in Gall.**purp.**Sau-Marth**in Gallia**Christiana.**Mubery l. c.*

Alter erat Joannes le Veneur, seu Venator natione Gallus, cujus Pater fuit Philippus le Veneur Baro de Tiliers, Mater vero Maria Blosseta Guilielmi de S. Petro & Carragio filia. Is in Episcopum ac Comitem Lexoviensem, nec non anno salutis nostræ quingentesimo quinto supra millesimum defuncto Avunculo suo Stephano Blosseto Antecessore suo in Abbatem Beccensem eligebatur, & postea unacum Rouvilla Regis nomine Normanniam cum suprema potestate gubernandam suscepit, concessio hanc in rem Diplomate, quod Alenfonius hujus Provinciæ Governator anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo quinto die quarta Martii confecerat, anno autem sequenti Franciscus I., eoquod hujus Præsulis probitatem, ac præclaras animi dotes maximi haberet, eundem magni Franciæ Eleemosynarii dignitate auxit, ac tunc temporis, cum Rex Massiliam ad fœdus cum Clemente VII. Papa ineundum pergeret, ac nuptias Henrici natu minoris filii cum Catharina Medicæa ejusdem summi Pontificis Nepte conciliaret, Joannes Cardinalis Presbyter titulo S. Bartholomæi in Insula anno post

post Christum natum millesimo quin-^{Sæcul. XVI.}
 gentesimo trigesimo tertio die septima A.C. 1543.
 Novembris renuntiatus est, qui etiam,
 cum Eleemosynarii munere fungeretur,
 statuta sacrarum ædium Parisiis ad me-
 liorem normam revocavit, nec non Pon-
 tis Audomari Ecclesiam religioso ritu
 sacravit, atque exequias Georgii Cardi-
 nalis de Ambasia Rothomagensis Ar-
 chiepiscopi celebravit, nec minus in-
 terfuit, ut testatur Ciaconius, Romæ
 Comitii Pontificii, in quibus Paulus
 III. electus est Romanus Pontifex. Ce-
 terum Joannes ob insignem pietatem &
 liberalitatem erga pauperes, nec non
 propter vigilantiam, ceterasque omnes
 virtutes dignitati, qua effulgebat, pro-
 prias ingens sibi nomen comparabat, &
 suam Lexoviensem Ecclesiam amplissi-
 mis redditibus locupletabat, demum ve-
 ro die septima Augusti anno Incarna-
 tionis dominicæ millesimo quingentesi-
 mo quadragesimo tertio fati functus
 in Ecclesia S. Andreae de Appevilla se-
 pultus est; illius autem cor in Nor-
 mannam delatum, atque ad aram
 majorem in Choro Beccensis Abba-
 tiæ conditum fuit.

L 3

§. V.

Sæcul. XVI.
A.C. 1543.

§. V.

Sanseverinatis Cardinalis extrema.

Ciac. l. c.
p. 488.

Aubery l. c.
Jac. Bosius
in hist. Meli-
tensi.

Inter Cardinales hoc anno defunctos tertius erat Antonius Sanseverinas Patria Neapolitanus. Is Patrem habuit Joannem Antonium Sanseverinatem, qui plurima oppida in Neapolis Regno sita possidebat: Matrem vero natus est Henriettam Caraffam. Erat hic Cardinalis antea Eques Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, qui hodie Ordo Melitensis nuncupatur; tunc temporis autem necdum Clericali dignitate fuit insignitus, cum a Clemente VII. die vigesima prima Novembris anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo in Cardinalium Senatum admitteretur. Idem Pontifex, quamvis Sanseverinatem hoc anno Cardinalem nominasset, eundem tamen non nisi decima septima, vel decima nona Februarii anno sequenti hac dignitate conspicuum promulgavit: Leo enim X. Papa, ut fertur, eundem jamjam Cardinalibus adscripserat, adjectis tamen quibusdam conditionibus, quæ cum non fuissent adimpletæ, nec a Leone, nec ab hujus Successore Adriano VI. pro Cardinale habebatur, postea vero a Cardinale Farnesio, qui demum Paulus III. erat, Clericali tonsura initiatus fuit, Cardinalis vero

Cam-

Campeggius eidem purpureum galerum Sæcul. XVI. A.C. 1547.
 solemniter imposuit. Obtinuit San-
 severinas primo titulum S. Sufannæ, po-
 stea S. Apollinaris, ac denique S. Ma-
 riæ trans Tyberim, ac præfuit Episco-
 pus Ecclesiis Conversanæ in Neapolis
 Regno, Prænestinæ, Sabinensi & Por-
 tuensi: demum vero ad Carolum V. Cæ-
 sarem Neapolin venientem Apostolica
 legatione functus fuit, & Romæ die de-
 cima sexta Augusti anno a reparata sa-
 lute millesimo quingentesimo quadrage-
 simo tertio mortalitatem exiit, sepul-
 tusque fuit in Ecclesia S. Trinitatis ad
 Montem Pincium.

§. VI.

Cornarii Cardinalis mors.

Ex Cardinalibus vita functis numero Ciac. p. 500.
 quartus erat Franciscus Cornarius, Aubery l. c.
 seu Cornelius Brixienis Episcopus, Hier. le Noir
 tertius Cardinalis Marci Cornelii anno in oratione
 millesimo quingentesimo vigesimo quar- funeb. Fr.
 to defuncti frater, & Catharinæ Regi- Cornarii.
 næ Cypri, nec non Marci Cornarii Ve- Jac. Tho-
 netorum Ducis Nepos: Patrem vero massin. in
 habuit Georgium Cornelium, & Ma- elog. illustr.
 trem Elisabetham Maurocenam, sub Viror.
 quorum cura Franciscus, cujus nunc
 mentionem facimus, in militariis vitæ
 exercitiis enutritus, anno millesimo quin-
 gentesimo nono Abduensi prælio, in quo

Sæcul. XVI. Veneti a Gallis fuere profligati, inter-
 A.C. 1543. fuit, dispersasque Reipublicæ copias col-
 legit: evoluta autem temporis interval-
 lo in illo exercitu, qui Patavium Cæsa-
 reis rursus eripuit, stipendia merebatur,
 tantaque animi fortitudine hanc urbem
 propugnavit, ut iterum ab hoste occupa-
 ri haud posset. Post hæc pacis otio li-
 beraliter usus, literas summopere exco-
 luit, & demum Hierosolymitanum iter
 instituit: inde vero redux Legatus ad
 Carolum V. Imperatorem missus, eun-
 dem per Germaniam, Hispaniam, ac
 Belgium comitabatur, anno autem Do-
 mini millesimo quingentesimo vigesimo-
 septimo die vigesima prima Decembris
 a Clemente VII. Papa purpureo Cardi-
 nali galero decoratus fuit, obtinuit-
 que Brixiensem Episcopatum, ubi mu-
 neris sui partes summa cum vigilantia
 adimplere satagens, ob suam eruditio-
 nem a toto Cardinalium Collegio maxi-
 mi habitus est, ejusque consilia velut to-
 tidem oracula a cunctis suspiciebantur.
 Appropinquante tandem vitæ suæ exi-
 tu variis adversæ valetudinis incommo-
 dis præcipue podagræ doloribus afflige-
 batur, quin tamen ullo pacto in lamenta
 effunderetur. Obiit Viterbii die vigesi-
 ma sexta Septembris, vel juxta alios,
 prima Octobris die anno salutis millesi-
 mo quingentesimo quadragesimo tertio,
 post-

postquam sexaginta quinque ætatis suæ Sæcul. XVI.
 annos expleverat. Corpus ejus Vene- A.C. 1543
 tias delatum, ibidem, ut ipfius testa-
 mento caverat, in Ecclesia S. Salvato-
 ris terræ mandatum fuit. In illius fu-
 nere Hieronymus Niger Reipublicæ Se-
 nator orationem habuit, quæ typis im-
 pressa extat.

§. VII.

Grimaldi Cardinalis obitus.

Postremus denique, ac quintus erat Ciac. p. 494.
 Hieronymus Grimaldus filius Bene- Onuphr. 43
 dicti Grimaldi, qui Genuensis Reipubli- vitis Pont.
 cæ Senator erat. Is juvenis adhuc u-
 xorem duxit nobilem fœminam, ex qua
 filios quoque suscepit, conjuge vero de-
 functa Hieronymus Ecclesiasticæ mili-
 tiæ nomen dedit, atque Ecclesiam Ven-
 nafri in Regno Neapolitano Episcopus
 rexit, dein a Clemente VII. renuntiatus
 est Diaconus Cardinalis titulo S. Geor-
 gii ad Velum aureum: Administrabat
 etiam ejusdem Pontificis jussu plures
 Ecclesias, postea vero ad Barensem Ar-
 chiepiscopatum nominatus, anno Chri-
 sti millesimo quingentesimo trigesimo
 Legatus Genuam decernebatur, quo in
 munere rara prudentiæ suæ specimina
 edidit, atque in omni occasione se hujus
 Reipublicæ commodis studiosissimum,
 nec non Religionis zelo longe clarissi-

Sæcul. XVI. A. C. 1543. mum testatus est. Tandem die vigesima septima Novembris anno post Christum natum millesimo quingentesimo quadragesimo tertio Genuæ mortalitatem exiit, illiusque funus curarunt tres ejus filii, Lucas, Joannes Baptista & Antonius. Exstant adhuc quædam epistolæ Cardinalis Cortesii ad Grimaldum scriptæ, in quibus maxime elucet, quod hic Cardinalis ob suam integritatem animique candorem plurimum fuerit commendandus, cum ita sincere suam semper sententiam declarasset, quin unquam in Christiana prudentia deficeret. Referunt nonnulli, quod Albiganensem Ecclesiam Episcopus gubernaverit.

§. VIII.

Jodocus Clichtoveus mortuus.

Valere Andre in Bibl. Belg. Le Mire de Script. Sæc. XVI. Dupin Bibl. des Aut. t. 14. p. 162.

Hoc item anno mors quibusdam Scriptoribus Ecclesiasticis calamos excussit, quos inter præcipue numerantur Jodocus Clichtoveus Neoportuensis Flander inter ævi sui Scriptores Polemicos facile princeps. Hic studiorum curriculo non sine ingenti progressu Lovanii emenso, Lutetiam Parisiorum venit, ubi in Collegio Joannis Cardinalis cognomento Monaci sub magisterio Jacobri Fabri Stapulensis primo Philosophiæ, postea Theologiæ operam tam
fire-

strenue dedit, ut anno Salvatoris nostri
millesimo quingentesimo sexto mense
Novembri Navarrici Collegii Doctor
crearetur, ubi Philosophiam publice tra-
didit, relicto autem Collegio hoc Am-
basix Cardinalis Nepotes literis imbuit,
postquam vero circa annum Domini mil-
lesimum quingentesimum decimum ter-
tium ad Collegium redierat, haud diu
ibidem substitit, utpote in Flandriam
evocatus, ut ibidem Tornacensis Eccle-
siae ad S. Jacobum Parochus esset, pro-
gressu tamen temporis Carnutensis Ec-
clesiae Canonicus nominatus fuit, ac
cum summa eloquentiae laude sacras
conciones habuit, vitaeque probitate
non minus ac sermonibus suis ad inspi-
randam pietatem compositis populis
exemplo fuit, quamvis ceteroquin vo-
cem oppido tenuem haberet. Is pri-
mus fuit ex Parisiensibus Theologis, qui
Lutherum impugnarunt, unde Ludovi-
cus Gaillardus Carnutensis Episcopus,
qui olim illius fuit discipulus, eumque
Ecclesiae suae Canonicum creavit, post-
modum eidem procuravit S. Andreæ
Decanatum in eadem urbe, ubi etiam
feria secunda die vigesima secunda Se-
ptembris anno Incarnationis dominicæ
millesimo quingentesimo quadragesimo
tertio fati cessit. Sepultum est corpus
ejus in eadem Ecclesia ad S. Andream,
ubi

Sæc. XVI.
A.C. 1543.

Sæcul. XVI ubi hodieum sepulchralis illius inscri-
A. C. 1543. ptio legitur. Porro Clichtoveus con-
 dito testamento sanxerat, ut omnes ejus
 facultates ad quosdam juvenes patria
 Neoportuenses in literis erudiendos im-
 penderentur.

§. IX.

Hujus Scriptoris Opera.

Dupin. l. c.
Possevin. in
Bibl.

Hic idem Auctor plura ingenii sui mo-
 numenta posteris reliquit, inter
 quæ præcipue numerantur I. *Elucida-*
torium Ecclesiasticum, II. *Propugnaculum*
Ecclesiæ, III. tres libri commentarii ab
 eo inscripti: *Anti-Lutherus*, IV. tracta-
 tus de Sacramento Eucharistiæ, V. de
 Sacrificio Missæ, VI. tractatus de vita
 & moribus Sacerdotum, VII. de Cul-
 tu Sanctorum. VIII. Scripsit etiam
 præfationem ad Fabri Stapulensis tra-
 ctatum de tribus Magdalenis unacum e-
 jusdem operis apologia. IX. Eidem
 adscribuntur duo libri, quorum unus de
 puritate B. Virginis, alter vero *de ejus*
doloribus in passione Filii sui, de illius præ-
sentia ad Crucem, & de ejusdem Assumptio-
ne atque Annuntiatione agit. X. Ab eo
 quoque compositus fuit tractatus *de ne-*
cessitate peccati Adæ, XI. liber de doctri-
 na bene moriendi, XII. variæ disserta-
 tiones de Nobilitate, XIII. de Regis
 officio, XIV. de bello & pace, XV.
 de

de laude Monasticæ Religionis. XVI. Sæcul. XVI. A.C. 1543.
 Elucubravit pariter Apostolorum & Vi-
 rorum Apostolicorum elogia, XVII.
 præcipue scripsit de Josephi Patriarchæ,
 Davidis, & Tobiaë laudibus. XVIII.
 Confecit varios sermones, & plus quam
 centum Homilias de diversis argumen-
 tis in totius anni Evangelia, Sancto-
 rum Festa, præter sermones de Syno-
 dis celebrandis, nec non pro fidelibus
 in Christi doctrina instituendis. XIX.
 Collegit ex S. Joanne Chrysofomo, &
 D. Augustino quasdam in S. Joannis E-
 vangelium explanationes, atque ex il-
 lis quatuor libros confecit, eo fine, ut ex
 duodecim libris, quos S. Cyrillus Ale-
 xandrinus in Evangelium S. Joannis
 scripserat, quatuor intermedios, qui
 perierant, suppleret. Typis vulgata est
 hæc explanatio unacum hujus commen-
 tarii versione anno Christi millesimo quin-
 gentesimo undecimo. XX. Edidit S.
 Cæsarii Arelatensis sermones, & com-
 mentarium in S. Joannem Damascenum
 præter quam plurima opuscula Philoso-
 phica.

§. X.

*Clichtovei tractatus de defensione Con-
 cillii Senonensis.*

Cum Clichtoveus inter Concilii Seno-
 nensis, quod Parisiis celebrabatur,
 mem-

Sæcul. XVI. membra haud infimum esset, hinc ejusdem Synodi doctrinam edita apologia defendendam suscepit, illamque Francisco I. nuncupavit. Inscribitur hoc opusculum: *Epitome veritatum, quæ concernunt fidem, & erroneas Lutheri assertiones*: continet vero viginti quinque capita, quorum primum est de infallibilitate Ecclesiæ in fide & morum doctrina. II. De ejusdem visibilitate. III. De infallibilitate Conciliorum. IV. De auctoritate Ecclesiæ circa sensum librorum sacrae Scripturæ. V. De articulis fide divina credendis, atque in sacra Pagina non expressis. VI. & VII. de potestate Ecclesiæ in condendis legibus sub peccati mortalis pœna obligantibus. VIII. De Ecclesiæ legibus circa jejunium & abstinentiam. IX. De Sacerdotum cœlibatu. X. De votis Monachorum. XI. De Communionem sub duplici specie. XII. De excommunicatione. XIII. De quæstione, an Ecclesia hæreticos judicio sæculari tradere valeat. XIV. De bonis temporalibus ab Ecclesia possessis. XV. De Sacramentis novæ Legis, ac præcipue de Matrimonio contra Lutherum. XVI. De Ordinibus minoribus in Ecclesia. XVII. De Eucharistia, tanquam Sacrificio. XVIII. De tribus partibus Pœnitentiæ. XIX. De Purgatorio & utilitate suffragiorum pro mortuis. XX. De dolore
pro

propter Christi Domini mortem. XXI. Sæcul. XVI.
A.C. 1543.
De invocatione Sanctorum. XXII. De
usu & cultu S. Imaginum. XXIII. De
libertate hominis circa bonum & malum.
XXIV. De Præceptis & Consiliis Evan-
gelicis. XXV. De fide unacum bonis
operibus ad consequendam salutem ne-
cessariis. Porro hic Auctor, dum de
libero arbitrio agit, affirmat, quod ho-
mini auxilium divinum, quo adjutus bo-
num operari potest, nunquam desit, aut
saltem aliquam gratiam habeat, per
quam hoc auxilium a Deo petere valet.
Insuper tradit, quod prædestinatio & re-
probatio negativa neququam ab huma-
nis actionibus, sed mere a voluntate di-
vina dependeat.

§. XI.

De Anti-Luthero Clichtovei.

Opusculum illud, cui titulus: *Anti-Lu-
therus*, in tres partes dividitur, qua-
rum prima prætensam Lutheri liberta-
tem Christianam atque Evangelicam
confutat: altera vero Missæ Sacrificium,
quod idem Hæresiarcha abolere niteba-
tur, propugnat, ac sententiam impu-
gnat, vi cujus Lutherus omnes Christia-
nos esse Sacerdotes tradebat. Tertia
demum Vota monastica defendit. Ce-
terum in prima parte illi sententiæ suf-
fragari videtur; quæ S. Dionysium li-
bro-

Sæcul. XVI. A.C. 1543. brorum, qui ipsi adscribuntur, Auctorem, ac totius Franciæ, nec non Parisiensium Apostolum fuisse tenet, hæc tamen opinio haud amplius Criticis probatur. Postea in eodem libro Clichtoveus demonstrat, quod Concilia generalia nec falli, nec fallere possint, eorumque Decretis sub pœna æternæ damnationis standum sit: In secunda autem parte diversos Hierarchiæ Ecclesiasticæ gradus explicat, nec non privatarum, ut vocant, Missarum usum, ac Missæ Sacrificium propugnat, cunctisque, quæ Lutherus objicit, respondet. Differit quoque ibidem de Communione non nisi a jejunis recipienda, nec non de Consecrationis verbis, quæ tacita voce esse pronuntianda tradit: Præterea ibi loquitur de horis Canonicis, Purgatorio, orationibus pro defunctis, ac denique de Universitatum utilitate. Tandem in tertia parte Votorum & vitæ monasticæ sanctitatem vindicat, atque data occasione multos Lutheri errores refellit.

§. XII.

De ejusdem libro, cui titulus: Propugnaculum Ecclesiæ contra Lutheri Sectatores.

Idem Scriptor in suo libro, quem inscripsit: Propugnaculum Ecclesiæ contra Lu-

Lutheri Seditores, præcipue propugnare Sæcul. XVI,
 nitebatur veterem Missas celebrandi u- A.C. 1543.
 sum, nec non continentiam ac Sacerdo-
 tum cœlibatum, & jejunii atque absti-
 nentiæ leges. Insuper allegatis quam
 plurimis testimoniis Missarum ritus,
 quantum ad præcipuas partes, esse per-
 antiquos comprobat, simulque omnes
 cæremonias ibidem peragi solitas a ca-
 lumniis vindicat, agitque de Commu-
 nione sub duplici specie: ubi vero de
 Sacerdotum cœlibatu differit, affirmare
 haud dubitat, quod Siricius Papa pri-
 mus fuerit Auctor illius legis, quæ Pres-
 byteros ad continentiam adstringit: his
 quoque addidit, quod hæc lex ab initio
 non fuerit ab omnibus Ecclesiis recepta,
 hodie vero sacris Ordinibus continentiae
 Votum sit annexum: nec minus ibidem
 cuncta, quæ huic doctrinæ opponi pos-
 sent, argumenta dissolvit, atque impu-
 gnat elogium, quo Erasmus Matrimo-
 nii usum inepte celebrat: In ultimo au-
 tem libro idem Scriptor agit de jejunio
 & abstinentia, cujus usum innumeris fer-
 me textibus atque exemplis comprobat:
 Ceterum Clichtoveus omnes hasce
 quæstiones non minori eruditione, quam
 argumentorum firmitate pertractat, nec
 non stylo admodum moderato utitur,
 parcius tamen artem criticam adhibuif-

Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. M se

Sæcul. XVI. se videtur, cum illo adhuc ævo parum
A.C. 1543. cognita fuerit.

§. XIII.

Joannis Eckii fata.

*Bellarmin. de
Scriptor.
Eccl.
Dupin. l. c.
p. 165.
Bossuet. hist.
variât. t. I.
l. 8. art. 4.
p. 459.*

Alter Scriptor Ecclesiasticus hoc anno mortuus erat percelebris Joannes Eckius in Suevia natus anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo sexto. Erat is Theologiæ Doctor, atque in Universitate Ingolstadiensi Professor, qui eximium sibi nomen comparabat tam dogmaticis suis elucubrationibus, quam crebris disputationibus, in quibus Lutherum, Carolstadium, Melancthonem, ac reliqua Germanorum Protestantium capita devicit, primusque fuit, qui Lutheri theses impugnavit, atque contra eundem Lipsiæ, nec non adversus Oecolampadium Badæ in arenam descendit. Interfuit quoque anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo octavo Augustano Conventui, in quo Protestantium Confessionem debellavit, anno autem Domini millesimo quingentesimo quadragesimo primo unacum Phlugio & Groppero seligebatur, ut Catholicorum nomine in Comitibus Ratisbonensibus adversus hæreticos Theologos decertaret, quamvis circa unionis articulos a suorum sociorum sententia discreparet, imo etiam contra eosdem ar-

articulos librum elucubraret, in quo ad-
 versus Bucerum apologiam edidit, ac
 concordiae librum Cæsari porrectum
 confutavit. Huic operi ultimam qui-
 dem manum apposuit Ingolstadii exeun-
 te mense Decembri anno Salvatoris no-
 stri millesimo quingentesimo quadrage-
 simo primo, prodiit tamen idem liber
 non nisi post Eckii mortem anno salutis
 millesimo quingentesimo quadragesimo
 tertio Parisiensibus literis excusus. O-
 biit Eckius eodem hoc anno die decima
 Februarii non nisi quinquaginta septem
 annos natus.

Inter prima, quæ edidit opuscula,
 præcipuum erat Controversiarum En-
 chiridion, quod in illorum, quibus vasta
 volumina evolvendi copia deest, utilita-
 tem conscripsit, eo fine, ut hi in prom-
 ptu cuncta haberent, quibus hæreticos
 confutare possent. Agit ibidem de po-
 tissimis quæstionibus controversis, nec
 non de articulis, circa quos Novatores
 Ecclesiam Romanam invadebant: hos
 inter præcipue erant I. articulus de
 Missæ Sacrificio, II. de præsentia reali,
 III. de Transsubstantiatione, IV. de li-
 bero arbitrio, V. de Ordinis Sacramento
 VI. de immunitate Ecclesiastica, VII. de
 Annatis, VIII. de Decimis, IX. de In-
 dulgentiis, X. de Excommunicatione,
 XI. de hæreticorum pœnis, XII. de

Sæcul. XVI Hierarchia Ecclesiastica. Differebat
A.C. 1543. ibi insuper I. de Missa in idiomate Latino celebranda, II. de parvulorum Baptismo, III. Sacerdotum cœlibatu atque eorundem consecratione, IV. de Purgatorio, V. de horis Canonicis. Hoc opusculum iterato prelo editum fuit, præter quod autem idem Scriptor in duobus libris, quorum unus Sigismundo Poloniæ Regi nuncupatus est, pertractabat quæstionem de Sacrificio Missæ, nec minus scripsit de Pœnitentia, Confessione & Satisfactione. Denique exstat epistola ejus ad Melanchtonem circa disputationem Lipsiensem, nec non alia ad Helvetiorum Pagos inscripta contra Lutherum & Zwinglium. Silentio præterimus tractatum, cui titulus *Chrysofusus*, de prædestinatione, quem librum ante Lutheri hæresin conscripsit, præter commentarium in Prophetam Agæum, & homilias in Evangelia de tempore, & de Sanctis. Hæc omnia opuscula typis impressa habentur.

§. XIV.

Alberti Pighii mors.

Dupin l. c. **T**ertius inter Scriptores Catholicos
p. 166. hoc anno obiit Albertus Pighius
Miræus in Campi, oppido ad Isalem flumen sito,
elog. Belg. & ex Patricio genere ortus, seu quod
de Script. idem
Sæc. XVI.

idem est, ex illis, qui Magistratus seu pu-
 blica urbis officia veluti Senatorum,
 Consulum &c. a Patre in filios transla-
 ta exercent. Ceterum Albertus stu-
 diorum curriculo Lovanii emenso ibi-
 dem primam Doctoratus lauream acce-
 pit, ac Coloniae, ubi Theologiae vacabat,
 inter Doctores receptus est, ubi etiam
 illud *de ratione Paschalis celebrationis, nec
 non de restitutione Calendarii* opusculum
 elucubravit, ac idem circa annum Do-
 mini millesimum quingentesimum vige-
 simum Leoni X. Papae nuncupavit: nec
 minus scripsit tabulas, quarum usu æ-
 quinoctia ac solstitia exacte inveniri pos-
 sunt: insuper Apologiam contra Astro-
 nomiam Marci Beneventani Cælestino-
 rum Monachi, qui Astronomicas Al-
 phonfi Regis tabulas corrigere aggres-
 sus est, in lucem edidit, huicque operi
Astronomiæ defensionem contra Prognosticos
 adjunxit, ac denique plura alia opuscu-
 la Mathematica composuit: præcipue
 ad hanc ingenii sui præstantiam rara e-
 tiam quædam manuum dexteritas ac-
 cessit, qua cupreas sphaeras ad intelli-
 gendos syderum atque cœli motus sum-
 mopere idoneas exactissime fabricabat:
 Nihilominus Alberti amici, licet is ejus-
 modi exercitationibus plurimum dele-
 ctaretur, eidem tamen magis Theologiae
 studium commendabant, quorum etiam

con-

Sæcul. XVI.
 A. C. 1543.

Sæc. XVI.
A.C. 1543 consilium fecutus plura elucubravit opera contra Lutherum, Melanctonem, Bucerum & Calvinum. Posthæc eundem Adrianus VI. Papa, quem nondum Cardinalibus adscriptum in Hispaniam comitabatur, quamprimum adeptus est Pontificatum, Romam accersivit, seu potius secum abduxit, eumque publicis summæ benevolentiæ signis decoravit: Papa autem fatis functo Albertus adhucdum Romæ persistens, Clementis VII. favores sibi conciliabat, ab eoque ad varia negotia adhibebatur, illiusque solertia crebro Paulus III. Clementis Successor usus est, a quo etiam Pighius Ultrajecti Præpositus ad sanctum Joannem Baptistam renuntiatus est, ibidemque anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quadragesimo tertio die vigesima quarta Decembris extremum diem clausit.

§. XV.

Pighii liber de Hierarchia Ecclesiastica.

Inter quam plurima Pighii opera ceteris merito palmam præripit tractatus in sex libros divisus, cui titulus: *Assertio Hierarchiæ Ecclesiasticæ*. Hoc opus Paulo III. Pontifici nuncupavit, & Sedis Apostolicæ jura immoto studio vindic-

dicavit, atque inter alia in libro quarto, ^{Sæcul. XVI}
in quo de juribus Papæ differit, eidem A.C. 1543.
auctoritatem atque jurisdictionem in un-
iversaliam Ecclesiam attribuit, cunctis-
que, quæ objici possent, respondet ar-
gumentis, atque exemplis, quæ non-
nulli allegare solent, ut summos Ponti-
fices quandoque in errores prolapsos
criminari valeant. Præterea in libro
quinto de Pontificis potestate in bona
temporalia agit, & confutat Marcilli Pa-
tavini librum, ubi non modo Ecclesiasti-
cis jurisdictionem profanam competere
asserit, sed etiam haud dubitanter pro-
pugnat, quod Cæsares Regesque a Papa
non modo in rebus sacris, sed etiam pro-
fanis dependeant, atque ab eodem suam
auctoritatem derivent, nec non illa ab
eo privari valeant. In postremo deni-
que libro Conciliorum auctoritatem
multum deprimit, contenditque, quod
illis non alia, quam sententias ferendi,
easque exequendi facultas competat,
Pontifici autem relictum sit, auctorida-
te suprema atque infallibili rem decide-
re. His quoque subjungit, quod Con-
cilia generalia, quæ a Constantino fuif-
se inventa autumat, olim fuerint salu-
taria, nunc vero Ecclesiæ perniciofa sint,
in cujus rei argumentum producit duo
illa Concilia, Constantiense & Basileen-
se, quæ tamen apud Gallos plurimum

Sæcul. XVI. auctoritatis obtinent, ipse vero eorum
A.C. 1543 Decreta de auctoritate Concilii genera-
 lis rejicit, hacque in re Gersonis senten-
 tiam confutat, docetque, quod nec Ec-
 clesia universalis, nec Concilium aliquod
 ullam in Pontificem habeat potestatem,
 imo nequidem jurisdictionem in priva-
 tos sibi vindicare valeat: hac vero, etsi
 Ecclesia gauderet, Concilia tamen ge-
 neralia careant. Præterea sequentes
 hasce propositiones tradit, quarum pri-
 ma est hæc: Concilia universalis tam
 in sua convocatione, quam in decisio-
 nibus a Papa penitus dependent. II.
 Omnes causæ Ecclesiasticæ, quæ sunt
 majoris momenti, sacræ Sedi reservan-
 tur. III. Concilia totam suam aucto-
 ritatem, omnemque vim ab eadem Se-
 de Apostolica obtinent. Insuper etiam
 contra Cajetanum propugnat, quod
 Papa ob nullam causam exauctorari
 valeat, etsi correctionis impatiens fo-
 ret, vel universæ Ecclesiæ offensionem
 præberet. Denique tantopere rem ex-
 aggerat, ut etiam contendere audeat,
 quod Papa nunquam in hæresin prola-
 bi, nec ullus casus excogitari possit,
 in quo absque Pontificis consensu Sy-
 nodus convocari valeat.

§. XVI.

Sæcul. XVI.
A. C. 1543.*Alia ejusdem Scriptoris opera.*

Præter hunc librum Pighius insuper posteris reliquit I. tractatum de *Missa Sacrificio contra Lutheranos*, II. apologiam adversus Bucerii calumnias, III. explicationem controversiarum, quæ in comitiis Ratisbonensibus fuerunt agitatae, IV. tractatum in decem libros divisum de libero arbitrio, & gratia contra Calvinum, V. opusculum seu *consilium de componendis Ecclesiæ dissidiis*, ubi etiam dissertatio de *actis sextæ & septimæ Synodi* reperitur. Ceterum Pighius circa Prædestinationem & gratiam a D. Augustini & S. Thomæ doctrina multum discessisse videtur; quippe non modo homines per gratiam habitualem sanctificari negat, sed etiam affirmat, quod nostra justificatio a duplici oriatur causa, quarum prima sit justitia inhærens, altera vero Christi justitia nobis imputata. Denique quædam alia circa peccatum originale adstruit, in quibus non minus ac Catharinus ab Ecclesiæ doctrina recessit.

§. XVII.

Cochlæi Opera contra Lutherum, aliosque hæreticos.

Hoc item anno Christi millesimo quingentesimo quadragésimo tertio quædam

Sæcul. XVI. A.C. 1543. dam Cochlæi opuscula typis vulgata prodierunt, inter quæ præcipue numeratur insignis quidam tractatus de auctoritate Canonice Scripturæ & Ecclesiæ Catholicæ. Hunc libellum Cochlæus ad Bullingerum Tigurinum Zwinglianæ hæresis Ministrum transmisit, ibidemque confutavit duos libros, quos idem hæreticus anno salutis nostræ millesimo quingentesimo trigesimo octavo typis impressos Angliæ Regi nuncupaverat. Porro hic idem Cochlæi liber ceteris omnibus magis eliminatus videtur, ibidemque Auctor sua argumenta cum majori, quam ullibi, perspicuitate ac verborum concinnitate pertractavit, nec non succincte egit de præcipuis controversiis circa libros Canonicos, Ecclesiæ auctoritatem, Conciliorum & Pontificum traditiones, nec non circa Sacramentorum numerum, legesque ac Constitutiones Ecclesiasticas. In hoc libro Cochlæus Bullingerum his verbis alloquitur: „ Si haud alius tibi animus foret, quam ut abusus, qui in Ecclesiâ ex Præfulum socordia irrepserunt, redargueres, atque non nisi in perver- sam quorundam Clericorum, qui sui muneris immemores sunt, vitam, corruptosque mores invehereris, non modo tuum commendarem studium, sed ipse etiam te palam deprædicare haud
„ du-

„dubitarem: cum vero erecto collo
 „præcipuos fidei articulos aggredieris,
 „falva religione ad tuos ausus obmute-
 „scere haud valeo. „

Sæcul. XVI.
 A. C. 1543.

Ceterum Cochlæus insuper inter sua opera recenset tractatum de igne animas defunctorum purgante contra duos Andreæ Oliandri sermones, & pariter in compendium redegit Cleri atque Universitatis Colonienfis judicium circa Bucerii librum, qui paulo ante typis excusus prodierat.

§. XVIII.

Ignatianæ Societatis incrementa.

Haud minorem nominis sui famam, quam Cochlæus suis elucubrati-
 nibus paraverat, etiam Ignatius sibi conciliaverat præclaris novi Instituti sui incrementis; quippe frequens erat illorum concursus, qui huic Societati nomen dare postulabant, quin imo ipse summus Pontifex non modo legem, qua Sociorum recens aggregatorum numerum olim duntaxat ad sexaginta restringebat, dein relaxavit, sed etiam alio diplomate postea edito indulfit, ut Ignatius sumpto prius experimento suæ Societati illos omnes adjungere posset, quotquot ad amplectendum hoc vitæ genus sese eidem oblaturi essent. Datum est hoc Pontificis Decretum die
 quar-

*Orland. hist. Soc. l. 4. n. 1.
 Bouh. vie de S. Ign. l. 4. p. 260.*

Sæcul. XVI. quarta Martii anno Domini millesimo
A.C. 1543. quingentesimo quadragesimo tertio.

§. XIX.

*Conimbricense Collegium a Lusitania
 Rege conditum.*

Bouh. p. 352. *Orl. n. 546.* Ex quo summus Pontifex hanc Bullam
 ediderat, mox plures Italiæ, Hispaniæ, Germaniæ ac Belgii urbes ab Ignatio tanquam supremo Societatis Capite tales Evangelii operarios, qui sub ejus disciplina adoleverant, sibi submitti postulabant, huncque in finem eidem offerebant Collegia, in quibus rursus alii efformari possent: Inde factum, ut paucæ admodum Catholicorum regiones essent, ad quas Ignatii Discipulis non pateret aditus, præcipue vero in Lusitania Joannes hujus nominis tertius Conimbricæ in Beirana Provincia Societati Collegium extruxit, quod quasi Seminarium esset illorum, qui ad novi Orbis regiones pro annuntianda Christi fide destinandi essent. Insuper idem Rex ex hisce Sociis unum sibi selegerat, qui ipsius conscientiam moderaretur.

§. XX.

*Cæsaris adventus ad comitia
 Spirensia.*

Sleid. l. 15. *p. 502.* Sub idem tempus Carolus V. Cæsar
 Cameraco discessit, ad Imperii comitia

tia sub finem mensis Januarii Spiræ celebranda profecturus, ubi etiam die nona ejusdem mensis jamjam advenerat, præfensque aderat Ferdinandus ejusdem frater unacum cunctis Electoribus, ac omnibus ferme Principibus tam Catholicis, quam Protestantibus, quibus Imperator ex Bruxellensi urbe publicæ fidei ac securitatis literas die decima Decembris datas transmisit, exclusis tamen ab hoc privilegio omnibus & singulis, qui Cæsareæ Majestatis hostibus armorum societate juncti erant. Ceterum summus Pontifex, cum Religionis negotia non sine Sedis Apostolicæ præjudicio Spiræ agitari pertimesceret, exeunte anno priori Franciscum Sfondratum patria Mediolanensem, qui ex Melifæ Episcopo postea Cardinalis fuit renuntiatus, eo ablegavit: cum vero inter tot bella ac hæreses suam spem unice in Dei auxilio repositam haberet, ideo in omnibus Christianæ Reipublicæ Provinciis publicas preces fieri decrevit, ipsusque ejusmodi supplicationes Romæ instituit, simulque pœnarum condonationes non minus amplas, quam Anni sacri tempore concedi solent, omnibus illis indulfit, qui pro pace Ecclesiæ ac Principum unione suas ad Deum preces oblaturi essent.

Sæcul. XVI.
A.C. 1544.

Pontan. l. 4.
Belcar. com.

Spond. hoc
anno n. 1.

Sæc. XVI.
A.C 1544.

§. XXI.

Spirensis conventus initia.

*Sleid. l. c.
Pallav hist.
Trid. l. 5.
c. 5. n. 2.*

Frequens admodum erat hic Spirensis conventus; omnes enim Electores eo convenerant, quod hucusque raro fieri solebat. Accessit quoque Dux Clivienfis, & Saxoniz Electori, qui die decima octava Februarii advenerat, obviam processerant Hassiz Landgravius, Coloniensis Archiepiscopus, Fridericus Palatinus & Siciliz Pro-Rex. His una congregatis biduo post datum est initium comitiis, quæ a vigesima Februarii usque ad decimam Junii diem fuere protracta. Auspicabatur ea Cæsar oratione habita, in qua specialia petebat armorum subsidia adversus Turcas & Galliarum Regem, & postea hæc addebat: *Quibus de causis relicta Hispania rursus in Germaniam iter susceperim, huncque Conventum indixerim, literis meis Genuæ datis explicavi unde haud opus est ea repetere.* „Cum autem Christiani nominis hostis „anno priori secundis armis totam Hun- „gariam emensus sit, totius negotii car- „do in eo vertitur, ut prosperis ejusdem „successibus resistatur; quapropter nil „mihi adeo deliberatum est, nisi ut ad „coercendos Turcarum progressus om- „nes meas vires impendam, ipsusque „ pro

„pro muneris mei ratione huic bello af-
„sistam.,, Sæcul. XVI.
A.C. 1544.

§. XXII.

*Cæsaris querelæ contra Galliarum
Regem.*

In sermone sui progressu Carolus Cæ- Sleid. l. c.
sar vehementer adversus Franciscum p. 503.
Regem declamabat, his verbis usus: Belc. comm.
Licet ipse ardentissime optassem adesse bello l. 23. n. 53.
Turcico, quibus tamen rebus, & per quem anno n. 4.
sim adhuc impeditus, notum est omnibus:
nam impulsu stipendioque Galliarum Regis
Turcica venit classis in mare Ligusticum, &
in alia tum Imperii, tum Hispanicæ ditionis
loca circumtulit bellum: cur autem Germa-
niam Turca tam confidenter petat, atque ag-
grediatur, hæc est causa, primum, quod
de dissidio Religionis, & de publicis ac pri-
vatis Ordinum offensionibus, deque statu re-
rum, & iis, quæ geruntur in Imperio, ea
semper per Franciæ Regem Turca cogno-
scat, atque ea ad illum perferantur: insuper
etiam Turcæ in Galliarum Rege favorem
& auxilia sibi parata esse sciant. Cum er-
go Franciæ Rex communem omnium hostem
in Rempublicam Christianam excitet, ar-
metque, necesse est, ut bellum contra Gallos
susceptum non secus habeatur, quam si in
Turcam ipsum susciperetur: hinc Principes
non solum actiones meas, atque consilia
non damnabunt, sed opem quoque mihi fe-
rent,

Sæc. XVI.
A.C. 544.

rent, ut ab hoste domestico liberatus vim omnem adversus Turcam explicare possim. His dictis Cæsar de aliis differebat negotiis, quæ Religionem spectabant, tandem vero his verbis orationem suam absolvit: De Religione scitis ipsi, quantus labor meus intervenerit, & sollicitudo multis abhinc annis, ac nuper etiam Ratisbonæ: sed cum ibi non potuerit iniri concordia, rejecta fuit caussa ad Concilium, aliosque Conventus: ac deinde sollicitavi Pontificem, qui Concilium indixit, cui sane decreveram ipsemet interesse, nisi Gallicæ Rex bellum mihi movisset: interea quid actum sit, hoc ex meis Legatis haud dubie cognovistis: nunc vero, cum idem adhuc maneat dissidium, rei publicæ sane vehementer incommodum, dispiciatis, ac nobiscum ipsi cogitetis, qua potissimum via tolli possit & emendari, mihi que rationem illam, quæ videbitur vobis optima, demonstratis: ut etiam Cameræe judicium, publicæ pacis vinculum & firmamentum, legitime constituatur, & jam antea providi, & deinceps quoque nihil in eo prætermittam.

§. XXIII.

Protestantium querelæ contra Brunsvicensem Ducem, ejusque responsum.

*Sleid. l. c.
p. 505.*

Eadem die Ferdinandus Romanorum Rex pariter per suos Legatos rogabat

bat, ut Imperii Principes ad bellum Hun-
 garicum suppetias ferrent. Postea Sa-
 xoniæ Elector, Landgravius, eorumque
 Socii Cæsarem alloquebantur, contra
 Henricum Brunsvicensem hoc modo de-
 clamantes: *Scis, inquit, invictissime*
Cæsar, quemadmodum inde ab initio testifi-
cati sumus, velle nos in hoc amplissimo con-
fessu causam explicare susceptæ defensionis
adversus Henricum Brunsvicensem: ejusdem
nunc quoque sumus voluntatis atque consilii:
neque dubitamus, quin audita re tota causæ
Majestati vestræ apparebunt graves, atque
justæ, quam ob rem & ea defensio nobis ne-
cessario suscipienda fuerit, & illi non liceat
interesse Concilio Principum: sed quia vide-
mus, illum ingerere seipsum huic confessui no-
bis minime comprobantibus: id unum possu-
mus atque licet, ne videlicet deliberationes pu-
blicæ retardentur aut impediuntur, profitemur
nos illum non habere, nec agnoscere pro Prin-
cipe Imperii, nec velle jus aliquod nostrum
per ipsius præsentiam nobis diminui. Ad
hæc Brunsvicensis haud obmutuit, sed
per suum Cancellarium his verbis re-
spondit: Saxo, Landgravius atque Socii,
violato jure divino & humano, perruptis
Imperii legibus, & fracta fide publica, per
vim & summam injustitiam, provincia mea
me spoliarunt, quo quidem nomine ipsos ad
Camerae tribunal accusavi: quod cum ita
sit, nec locum in Imperii Senatu habere pos-
sunt,

Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. N sunt,

Sæcul. XVI.
 A. C. 1544.

Sæcul. XVI
A.C. 1544.

*sunt, & si quidem habuerunt, eum hoc ad-
misso facinore jam amiserunt, & digni sunt,
quorum consuetudinem omnes defugiant: si
vero res ita ferat, ut in publicis deliberatio-
nibus mihi sit ipsis assidendum, profiteor, mihi
nec hunc eis locum tribuere, nec actioni mea
quicquam velle propterea derogatum esse.*

Post hæc Principes Protestantes suam
agendi rationem vindicare, ac sigillatim
ea, quæ hucusque in hac causa gessis-
sent, enarrare cupiebant, eo fine, ut
Brunsvicensis Ducis accusationibus nul-
la fides adhiberetur. Ast Imperator
per Fridericum Palatinum, atque Na-
vium ab eis petebat, ut totum hoc ne-
gotium ad aliam diem remitterent, eo-
quod sole vix non ad occasum vergente
inde abeundum esset. Annuit utraque
litigantium pars: cum vero in eodem
Principum confessu Landgravius proxi-
mum a Joanne Palatino Principe locum
teneret, mox ex vitandæ simultatis studio
medius inter utrumque Principem sedit
palam antea professus, quod hæc assi-
dendi ratio, nec ei, nec illius familiæ
ullatenus fraudi aut præjudicio esset, id
vero Joannes hortatu Cæsaris fecisse
credebatur. Porro altera die Saxonie
Electôr & Landgravius Palatinum, Na-
viumque rogabant, quatenus Cæsarem
eo inducerent, ut Brunsvicensem Du-
cem a comitiis arceret: verum id im-
pe-

petrare haud poterant, eo quod Imperator illum a publico confessu re nondum discussa, nec decisa excludi haud posse affirmaret: Priusquam vero hæc sessio solveretur, Catholici æque ac Protestantes, quos Cæsaris oratio plurimum commoverat, se totis viribus eidem contra Franciæ Regem præsto futuros spondebant, collatisque inter se consiliis decreverunt, quod eundem haud ultra Regis nomine venerari, sed potius tanquam fidei Catholicæ desertorem, Barbarum, ac Christi Domini, ejusque Ecclesiæ hostem abominari vellent.

Sæc. XVI.
A.C. 1544.

§. XXIV.

Oratores a Galliarum Rege ad Spirensem Conventum ablegati.

Rebus ita dispositis Franciscus I. Galliarum Rex probe prospexerat, quod Cæsar apud Imperii Principes suas contra eum querelas delaturus esset, hinc suos ad comitia Oratores decernebat, qui eum ab objectis criminibus purgarent. Hujus legationis præcipui erant Joannes Bellajus Cardinalis, Franciscus Oliverius, Alenconius Cancellarius & Prætor Divionensis. Hi Nancejum in Lotharingia situm mense Januario delati ibidem substitere, donec publicæ securitatis literas a Cæsare accepissent; Rex enim jam antea facialem ea de

Sleid. p. 505.
Pallav. l. c.
c. 5. n. 2. & 3.

Sæcul. XVI. A.C. 1544. caussa Spiram unacum literis ad Carolum Imperatorem præmiserat : cum autem fecialis legationis suæ insignibus ornatus exeunte mense Februario Spiram adveniret, Granvellanus eundem comprehendi jussit, eique quamdam domum, in qua interim detineretur, assignavit, facto interdicto, ne ipse inde exiret, nec quiscunque eidem colloqueretur. Fecialis equidem ex eo, quod captus retineretur, gentium jura violari opponebat, verum nihil deferebatur ejus querelis, sed vehementer reprehensus quarto post adventum die ad sua redire jubebatur, adjectis asperrimis hisce verbis : „ Tibi adhuc favet fortuna, „ cum sanus atque incolumis reverti permittaris, nam Regi Domino tuo, cum „ sit Germaniæ hostis, sese Imperii negotiis ingerere haud competit; tibi vero „ hac vice potius ex Cæsaris clementia, „ quam meritorum suffragio venia datur, in posterum vero sollicite caveas, „ ne ejusmodi legationes in te suscipias, „ si impune redire velis; scias enim, legibus prohibitum esse, ne feciales in „ loco, ubi Imperator moratur, eo in- „ scio compareant. „ Hæc feciali dicta fuere, literæ autem, quas secum deferre aiebat, minime recipiebantur, sed illi hoc idem responsum scripto dabatur unacum equo, quo Nancejum usque

ve

veheretur, ubi eum præstolabantur Oratores, qui acceptis securitatis publicæ literis mox sese itineri accingere parabant.

Sæcul. XVI.
A.C. 1544.

§. XXV.

Oratores denegatis fidei publicæ literis in Gallias reversi.

Oratores a feciali totam rei feriem edocti anxii omnino curis agitantur, ac consilii inopes, quid in hac rerum vicissitudine agerent, a Lotharingæ Duce exquirebant, hic vero eisdem auctor exstitit, ut in Franciam redirent.

Steidam. l. c. p. 506.
Freher. t. 2. rer. Germ. Spond. hos ann. n. 2. Belcar. l. c.

Acquievere illi consiliis Lotharingii, qui quamvis neutri parti adhæreret, summo tamen studio Cæsarem inter & Galliarum Regem pristinam restitui amicitiam peroptabat; verebatur enim, ne bello diutius protracto ejus quoque ditones devastarentur. Verum Carolus Imperator a pacis studio multum alienus videbatur; suum enim honorem atque existimationem in discrimen adduci credebatur, si cum Gallis concordiam iniret, priusquam armis Franciam in suam redeget potestatem. Eapropter Galliarum Oratores sermonem, quem in Spirensibus comitiis perorare constituebant, typis vulgare curarunt. In eo pristina Germanos inter & Gallos foedera recensebant, postea vero suorum hostium ac-

Sæcul. XVI. A.C. 1544. *cusationes diluebant, indigne ferentes, quod eorum Regi fœdus cum Turcis initum crimini daretur, cum tamen, prosequerentur Legati, cum Turca nullum sit Regi fœdus, nulla societas, nisi commercii & quietis publicæ causa, cujusmodi est Venetis, Polonis & aliis nonnullis: quamquam si fœdus ullum esset, non potest tamen Rex in crimen vocari, propterea quod idem aliquando fecerint & Abrahamus & David, & Salomon & Phinees, & liberi Tobie, & Machabæi Duces, postea etiam Honorius, Constantinus, Theodosius junior, Justinianus II. Palæologus, Leo, Fridericus I. & II. Cæsares, qui diversæ Religionis gentium auxiliis utebantur, & Fridericus quidem II. Saracenorum humeris in Italiam, unde Pontifex ipsum eiecerat, reportatus fuit: scimus equidem, quantas copias & auxilia non semel in bellum Turcicum Rex promiserit: ejus quoque rei Pontifex, & Senatus Cardinalium testis locupletissimus est: in Hungariam vero Turca irruit, cum esset ibi natum dissidium de Principatu, magis deinde fuit laceffitus bello Africano post captam Tunetem: quod autem in mare Ligusticum Turcica classis nuper venerit, non est tribuendum Regi: nec ad rem facit, quod in ea classe fuerit regius Minister Polinius: etenim Barbarossæ fuit consilium, ut Andream Auriam investigaret, & opprimeret:*

cum

cum id non posset, arcem obsedit Nizenam, idque sua sponte. Sæcul. XVI.
A.C. 1544.

Verum omnes hæ Oratorum rationes nullius ferme momenti esse videbantur, unde eas Germani omnino flocci habebant, atque omnem opem ac operam Cæsari adversus Franciæ Regem pollicebantur.

§. XXVI.

Germanorum suppetiæ Cæsari contra Galliarum Regem promissæ.

Una erat Principum Germanorum sententia, quod debellato prius Galliarum Rege eo facilius Turcarum potentia frangi valeat: quapropter inter eos conventum, ut Cæsari quatuor cataphractorum millia, peditumque viginti millia per semestre alenda pro suppetiis conferrentur, ea tamen lege, ut Imperator ad muniendas urbes Turcis vicinas mediam hujus subsidii partem Ferdinando Fratri suo daret. Insuper statutum, quod per universam Germaniam singuli viritim pro cujusque facultate nemine excepto auxilia præstarent, omnesque tam natione Germani, quam ceteri, qui nationis Germanicæ jure ac civitate donati sunt, sub gravissimis pœnis prohiberentur, ne vel Galliarum Regis vel alterius Principis eidem fœdere juncti stipendia mererentur.

*Sleid. p. 513.
Isthuan. l. 15.
Spond. hoc
ann. n. 4.*

Sæc. XVI.

A.C. 1544.

Hanc in rem Electores, ceterique Principes die secunda Aprilis literas ad Helvetios dederunt his verbis conceptas: *Qua de causa bellum decreverimus adversus Turcam ante biennium, id tunc ex Ferdinandi Regis, atque etiam ex nostris accepistis Legatis, & dolemus, quod non liberalius tunc ad ea responderitis: Cæsar tunc quidem constituit, huic interesse bello, sed impeditus a Gallicæ Rege fuit, qui non modo diversis locis bellum fecit, sed Turcarum etiam auxilia sollicitavit: & anno proximo Turcica classis illius auspiciis, atque ductu ingressa in mare Ligusticum, intulit bellum Sabaudicæ Principi, capta Nicea: classis autem ista habet nunc quoque suam adhuc stationem in Galliis, & in hoc intenta est, quomodo rebus Imperii Cæsarisque quam plurimum noceat: hoc sane facinus Regis tam horrendum & inauditum eo magis est detestandum, quod ad impiæ gentis amplificationem, ad reipublicæ vero periculum longe maximum pertineat: itaque nobis cum primis videtur mirum, quod vos, quibus non minus, quam ceteris Germanis, a Turca metuendum est, Gallicæ Regi copias in illud bellum auxilio miseritis, qui Turcam habet socium & adiutorem: nam sine vestrum auxiliis non temere fuisset bellum hoc civile suscepturus: nunc etiam ad nos desertur, quod denuo sollicitet vos de novis mittendis copiis; cum autem ad omnes æque per-*

tineat, non modo Turcarum vim reprimere, Sæcul. XVI.
 sed illorum quoque sociis auxilia quæcunque A.C 1544.
 detrahere, servandæ causæ reipublicæ: hinc
 oramus plurimum, ne Gallicæ Regi, qui pro-
 pter impium fœdus haberi debet pro commu-
 ni hoste, vestros deinceps militare permitta-
 tis, & eos, qui jam sorte profecti sunt, re-
 vocetis, atque ita vos geratis, ut publicam
 salutem noluisse negligere videri possitis.

Exeunte mense Aprili Helvetii ad
 Principum literas hunc in modum re-
 sponderunt: Nostri Duces ac militum Præ-
 fecti a nobis rogati affirmant, nullum se vi-
 disse Turcicum auxilium in castris Gallorum,
 nec de eis quicquam audivisse: nam alioqui non
 militassemus: Gallicæ quoque Rex a nobis
 interpellatus querebatur, cum autem hyeme
 superiori legationem miserat, hæc repudiata
 fuit: quæ si fuisset audita, calumnia illa fa-
 cile potuisset refutari: quod si pacem Cæsar
 non abnuat, ille & Bohemis, qui Februa-
 rio mense etiam scripserunt, & Germanis
 adversus Turcam auxilia sua pollicetur:
 Jam ad nos quod attinet, quidam sunt de-
 vincæ Gallicæ Regi, & pacto tenentur, ut
 militent: alii vero quidam multis abhinc an-
 nis amicitiam cum eo colunt, quorum ex di-
 tione si qui transcurrunt in Galliam, nobis
 & invitis & nescientibus hoc fit, sicut etiam
 aliis in locis per Germaniam accidit: nobis
 autem videtur consultum, ut Regis audian-
 tur Legati, & pax constituatur. Quæ

Sæc. XVI. *quidem in re si quid possumus asserre momen-*
 A.C. 1544. *ti, perlibenter faciemus.*

Hoc responsum displicuit Imperii Ordinibus, qui novos in Franciam hostes concitare unice intenti erant.

§. XXVII.

Sabaudicæ Ducis accusatio contra Franciscum Galliarum Regem.

Sleidan. l. 6. p. 512. Die vigesima septima Aprilis Carolus Sabaudicæ Dux itidem Franciscum Galliarum Regem in pleno Principum confessu per suos Legatos accusabat,

Belc. comm. l. 23. n. 55. qui vim atque injurias prioribus annis Duci suo illatas exaggerabant, hæc insuper exponentes: *Excitavit etiam Francicæ Rex Solimani Legatum, ac Turcicæ classis Præfectum Barbarossam, qui Gallorum copiis adjutus Niceam oppidum deditio- ne cepit, contraque fidem datam diripuit, & plurimis in servitutem abductis incendit: Petimus igitur, ut Duci vehementer afflicto subveniatis, præsertim cum ad arcis obsidionem omnino redituri videantur hostes: Dux noster equidem Papam rogavit de auxiliis, sed illud solum vestigal eidem largitus est, quod ei quotannis dependere solent Ecclesiastici: attamen illud est vehementer exiguum in hac sua tenuitate, quando vix decimam suæ ditionis partem obtinet: quo minus autem etiam ad comitia ipse venerit, per ætatem, & intervallum itineris, & imminens ab hoste pe-*
 ri-

riculum excusatur, dicitque, se neque sum- Sæcul. XVI.
ptum tolerare posse, cum vix habeat, quo A.C. 1544.
se, filium atque familiam alat.

Hæc Legatorum oratio non parum conferebat, ut Principum animi adhuc magis adversus Franciæ Regem accenderentur, atque ad bellum eidem inferendum eo vehementius impellerentur.

§. XXVIII.

Alia Decreta Spirensis Conventus.

Cum Albertus Brandenburgicus per *Sleid. comm.*
 plures annos supremus Brufforum *l. 15. p. 513.*
 Equitum Magister fuisset, nunc autem matrimonio sese junxisset, ac propterea a Curia Imperiali tanquam hæreticus fuisset condemnatus, hinc Cæsar in ejus locum præsentibus omnibus Imperii Principibus in hisce comitiis Wolfgangum Melkingum suprema hac Ordinis dignitate ritu solemniter insignivit. Verum eo quod Albertus beneficiarius Poloniæ Regis cliens esset, ideo Legatus Regis sui nomine eundem protegebat, nec non Wolfgangi electioni oblectabatur. Ceterum quoad dissidia, quæ inter Brunsvicensem Ducem & Principes Protestantes fervebant, in iisdem comitiis decretum fuit, quod Cæsar Brunsvicensem Ducatum sequestris nomine tamdiu retineret, donec totum hoc negotium aut judicium sententia, aut amica liti-
 gan-

Sæc. XVI.
A.C 1544.

gantium compositione absolveretur. Pariter ibidem agebatur de discordia inter Cæsarem & Christiernum III. Daniæ Regem, qui Christiernum II. Caroli V. Levirum jam a longo tempore captivum detinebat: Verum hæc res nondum decidi poterat.

§. XXIX.

Religionis negotia ad aliud tempus remissa.

Jam denique caussarum series eo tempore videbatur, ut de Religionis ac fidei diffidiis ageretur: cum vero profana Principum negotia potissimam temporis partem sibi jamjam vendicassent, Cæsar consultum fore censebat, si aliquæ caussæ ad proxima remitterentur comitia, in quibus mense Decembri celebrandis velut pacis induciæ usque ad Synodum vel generalem, vel nationalem in Germania celebrandam decernerentur.

§. XXX.

Comitiorum Spirensium Decreta in favorem Protestantium promulgata.

Sleid. p 515.
Surius com.
Bellay l. 23. Interea Cæsar, cum Lutheranorum factionem in dies numero ac potentia augeri cerneret, valida ab eis auxilia sibi pollicebatur, hinc, ut Protestantes Principes sibi devinciret, Decretum edidit,

dit, vi cujus edicti Augustani executionem rursus differendam statuit, simulque indictis gravibus pœnis prohibuit, ne ob Religionis diversitatem cuiquam molestia inferretur. Præterea præcepit, ut omnium litium decisio ad Imperii comitia proxime celebranda remitteretur, usque dum Concilium haberi posset, interea vero omnes, sive Catholici sive Protestantes, cujuscunque sint Religionis, bona sua Ecclesiastica quiete possideant, iisque libere fruantur, ex hisce tamen bonis Ministri alantur, Scholæ erigantur, ac pauperum necessitati succurratur: Cameræ vero Judices locum suum retineant usque ad tempus eis præfixum, quo elapso prima die, qua alias nova Judicum electio fieri consueverat, in hunc confessum nulla habita Religionis ratione partim Catholici, partim Lutherani in æquali numero recipiantur, omnesque lites maneant suspensæ, Anabaptistæ tamen pœnam jam olim in eos decretam subeant. Nihilominus Cæsar Magistratus hortabatur, ut Viros doctos probosque adhibeant, qui hosce hæreticos de errore suo convictos ad veritatis semitam reducerent. Placuit summopere hoc edictum Protestantibus, qui Carolum V. tanquam Cæsarem æquissimum juxta ac publicæ quiete-

Sæc. XVI.
A.C 1544.

Sæcul. XVI. quietis studiosissimum plenis buccis de
A. C. 1544. prædicabant.

§. XXXI.

Catholici hoc Decreto offensi.

Steid. p. 516. Attamen quo magis Lutheri fautores triumphare conspiciebantur, eo gravius Catholici affligebantur, palamque hoc Decretum impugnabant, quin imo Sedis Apostolicæ Nuntius illud prorsus nullum irritumque esse declarabat: verum Imperator, cum ei Viri ad promovenda illius studia aptissimi minime deessent, Nuntio hæc in responsis dedit: „Validis omnino rationibus expugnatus hæc indulsi; cum enim Lutheranorum factionem Catholicis potentia plurimum prævalere cernerem, merito timebam, ne Protestantes me ad pejora compellerent. De cetero in hoc Decreto reipsa nil amplius statutur, nisi quod Religionis dissidia, eorumque decisiones ad proxima Imperii committantur. „ Hæ rationes animos sedabant Catholicorum, qui etiam Decretum, quamvis illud ceteroquin Religioni valde noxium fore censerent, consensu suo firmabant, eo quod sese Cæsaris potentia opponere non auderent. Verum hæc agendi ratio tantopere summo Pontifici displicuit, ut sese haud continere posset, quin in amaras omni-
no

no querelas erumperet, imo non so-
 lum ob hoc Decretum in comitiis edi-
 tum affligebatur, sed vel maxime ideo
 indignabatur, quod Carolus V. cum
 Henrico Angliæ Rege capitali Ecclesiæ
 inimico armorum societatem iniisset, ac
 insuper omnia consilia quantumvis pro-
 ficua, quæ ipsi Farnesius Cardinalis Se-
 dis Apostolicæ Legatus pro suo Nepote
 in Mediolanensem Ducem inaugurando
 proposuerat, penitus rejecisset, nec non
 unice Protestantibus complacendi stu-
 dio eidem huic Legato comitiis assisten-
 di facultatem abnegasset. Præterea
 summus Pontifex serio perpendebat,
 quod Spirensis Conventus Decretum
 non modo ipsius auctoritati, sed etiam
 Sedis Apostolicæ dignitati ingens dam-
 num inferre posset.

§. XXXII.

*Epistola Pontificis ad Cæsarem pro-
 pter Spirense Decretum.*

His rationibus permotus Pontifex, sui
 honoris rationem exigere censebat,
 ut Cæsari suam indignationem manife-
 stam redderet: eapropter hanc in rem
 die vigesima quinta Augusti anno post
 Christum natum millesimo quingentesi-
 mo quadragesimo quarto prolixam ad-
 modum epistolam ad Cæsarem dedit,
 hujus tenoris: *Quænam Decreta nuper*
fue-

Sæcul. XVI.
 A C. 1544.

Sæcul. XVI. fuerint facta, ad nos relatum fuit, quod ve-
 A.C. 1544. ro de illis sentiam, non possum pro meo mu-
 nere, & mea in te charitate dissimulare, &
 ut ita faciam, exemplo moueor Sacerdotis
 Heli, quem Deus gravissime multavit ob
 nimiam erga filios indulgentiam: ad eundem
 plane modum, quandoquidem ea Decreta per-
 tinent ad animæ tuæ periculum, & ad ma-
 ximam Ecclesiæ perturbationem, necessario
 te commonefacere teneor: primum igitur hoc
 est, ne ab Ecclesiæ consensu vel consuetudi-
 ne majorum discedas, sed eandem discipli-
 nam, ordinem, instituta sequaris atque ob-
 serves: hic autem ordo est talis, ut, quoties
 de Religione disceptatur, iudicium omne re-
 ferri debeat ad Ecclesiam Romanam: tu ve-
 ro nuper, quando de generali & Nationis
 Concilio, & Imperii Conventu statuisti, nul-
 lam habuisti rationem ejus, qui solus Jure
 divino & humano, cogendi Concilia, &
 decernendi de rebus sacris potestatem obtinet,
 neque vero hoc solum in reprehensionem ve-
 nit, sed illud etiam, quod non idiotis mo-
 do, sed & damnatarum hæresum assertori-
 bus permittas, de Religione judicare, quod
 de bonis sacris, eorumque controversiis de-
 cernas, quod eos, qui sunt extra commu-
 nionem Ecclesiæ, & ipsiusmet edictis jam
 olim damnati, pristinis honoribus atque lo-
 co restituantur, non assentientibus iis, qui
 veterem & religiosam obedientiam præstant:
 an hæc cum sacris legibus & institutis con-

veniunt? an non omnem disciplinam & or-
 dinem tollunt? existimo autem, non ex tuo
 hæc esse patefacta sinu, sed malevolorum esse
 consilio factum, qui pro suo in Ecclesiam
 Romanam odio te sollicitarunt, ut aliquam
 abalienati animi significationem dares: quod
 autem illis acquieveris, & morem gesseris,
 eo vehementius doleo, quo majori hoc esse
 cum tui ipsius & Ecclesie detrimento con-
 junctum video, nisi respicias: hic etiam me-
 tus crescit & augetur consideranti, quibus-
 cum amicitiam interis: pravis nimirum col-
 loquiis corrumpuntur boni mores: sic etiam
 magnum est periculum, quando cum pravis
 & vitiosis hominibus sædera fiunt: non du-
 bito tamen, quin honestos illi titulos obdu-
 cant: nullum enim est prope tam malum con-
 siliium, quod non aliquo specioso titulo com-
 mendatur: sed revera perscrutanti Scripturam
 occurrunt multa & illustria exempla,
 quibus ira Dei docetur in eos, & vindicta,
 qui summi Sacerdotis munera sibi vendica-
 runt: ab adversariis in odium atque crimen
 vocatur Sacerdotum negligentia, & hoc illi
 utuntur tanquam stimulo, dum ad procura-
 tionem Religionis principes Viros exhortan-
 tur: hoc quidem & pulchrum & laude di-
 gnum videtur sed nulla ratione subsistit, quod
 privatis in ædibus Paterfamilias unicuique
 distribuatur, quod agat, neque patiatur, si
 quis alienum opus faciat, ne conturbetur or-
 do: sic etiam in Ecclesia, quæ est domus
 Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. O Dei,

Sæcul. XVI.
 A.C. 1544.

Sæcul. XVI. *Dei, suum cuique munus est distributum,*
A.C. 1544. *quod obeat, neque decet, ut superiorum of-*
ficiis fungantur inferiores, idque tanto ma-
gis observandum est, quanto Ecclesia major
Et illustrior est quavis alia domo: cum ergo
supremum Ecclesie munus commendatum sit
a Deo Sacerdotibus, magna est injuria, cum
horum partes Et honorem alius sibi sumit
notum est, quid acciderit Ozæ, sustinenti
currum, quo vehebatur arca Dei, jam pro-
pensum ad ruinam: nemo quidem est, cui
non recte fecisse videatur ille, quod absentibus
Levitis, cum ruinae periculum impende-
ret, admota manu currum inclinatum suble-
varit, sed tamen illum ulciscente Deo subla-
tum e vita, documento nobis est, quam non
oporteat alienum officium usurpare: caveat
igitur, ne persuasus ab illis, qui emendatio-
nem Ecclesie semper habent in ore, temere
manus admoveas iis rebus, quæ peculiariter
ad Sacerdotes pertinent: similis etiam Et a-
tracior exitus fuit Dathan, Abironis, Et
Core, cum auctoritatem vellent Moyse Et
Aaroni fratribus derogare: præclarus fuit
Rex Ozias, Et tamen, quod incensum ad
altare vellet adolere, factus est leprosus, ar-
rogationem alieni muneris ulciscente Deo:
procuratio Ecclesiarum officium est quidem
Deo gratissimum, sed ad Cæsares non per-
tinet, verum ad Sacerdotes, Et imprimis
ad illum, cui ligandi potestatem atque solvendi
Deus fecit: neque vero ad rem pertinet, quod
di.

dicas, has leges non esse perpetuas, verum Sæcul. XVI.
 temporarias, & ad Concilium modo dura- A.C. 1544.
 turas: nam etiamsi pium esset, tamen ratio-
 ne personæ impium fit: Deus est, qui ratio-
 nem postulat a malis Sacerdotibus: in illo
 conquiescendum est, nec aliud præterea ten-
 tandum: etenim illi, qui principem Ecclesia-
 rum sedem Romanam adjuvarunt, qui fidem
 & amorem Ordini Sacerdotum præstiterunt,
 maximis a Deo semper amplificati sunt bene-
 ficiis atque donis, ut in Constantino Magno,
 in Theodosio, in Carolo Magno videre li-
 cet: illi vero, qui contra fecerunt, gravissi-
 mis pœnis afflicti: neque jam de Nerone, Do-
 mitiano, & id genus aliis, qui nascentem
 Ecclesiam conati sunt extinguere, sed de iis
 loquor, qui confirmatæ Petri Cathedræ, cum
 adultior esset facta, resisterunt: in hoc est
 numero Anastasius I. Cæsar, deinde Mauri-
 tius, Constans II. Philippus, Leo, & alii
 complures, qui rebus atque fortunis omnibus
 dispoliati, turpiter & ignominiose vitam fi-
 nierunt: Henricus IV., quod indigne tra-
 daret eum, quem loco Parentis vereri debuis-
 set, a filio suo captus Leodii dignas luit
 pœnas: Fridericus II. Ecclesiæ Romanæ
 gravis adversarius, a filio suo trucidatus oc-
 cubuit: neque tamen semper affliguntur rebel-
 les, & aliquando in summa rerum copia flo-
 rent, quod nimirum eo fieri Patres dicunt,
 ne, si omnes hic impii plecterentur, nullum
 aliud superesse tribunal Dei putemus: pecca-
 tum

Sæcul: XVI. tum quidem nullum impunitum dimittitur,
 A.C. 1544. sed hæc omnium est gravissima ira Dei, cum
 qui peccant, impune se id facere arbitrantur:
 hi enim sunt deplorati, ac vere miseri, qui
 peccata semper accumulunt: ad hunc vero
 modum non singuli tantum homines, verum
 provinciæ etiam mulctantur, quæ vel Christi-
 stum a se repudiant, vel ejus parere Vicariis
 recusant: duo autem sunt populi imprimis,
 qui sua calamitate nobis id clare demonstrant,
 Judæi atque Græci, quorum illi Christum
 Dei Filium occiderunt, hi Vicarium ejus
 non uno modo sunt aspernati: jam si Deus
 iram suam in illos declaravit propter ejusmo-
 di conatus atque scelera, multo sane plus tibi
 verendum, si quid tale decernas, cujus
 origo sit ab iis Imperatoribus, qui non plus
 honoris Ecclesiæ Romanæ detulerunt, quam
 ab ea receperunt, hæc autem non eo spectant,
 quod tale quid te cogitare putem, aut quod
 controversiam non maxime cupiam ipse com-
 poni, sed quod de tuo periculo sim sollicitus.
 Constantino Magno Sacerdotes olim detule-
 rant cognitionem suarum litium, sed ille illud
 muneris rejecit, neque de iis judicare voluit,
 qui de cunctis judicandi potestatem habent:
 hujus nimirum sunt vestigia sequenda: quod
 res controversas conciliari, quod Ecclesiæ fieri
 cupias emendationem, imprimis est lau-
 dandum: peto etiam, ut in eo tuam operam
 mihi præbeas, cui ministerium hoc atque cu-
 ram Deus commisit: adiutorem te quidem
 pos-

possum ferre, sed Rectorem atque Caput ad-
mittere non valeo: percupidus sum publicæ
reformationis, quod non semel declaravi in-
didicis Conciliis, quandocunque vel minima
spes affulsit, ea posse coire: ac licet frustra
quidem adhuc istud egerim, tamen, quod
meorum est partium, nihil volui præterire:
Concilium enim opto tum Reipublicæ, tum
Germanicæ causæ potissimum, quæ variis est
lacerata dissensionibus: doleo autem, quod
eorum utaris consiliis, qui jam olim damnati
sunt, etiam Ecclesiæ voce: nec eo doleo ta-
men, quod a tua amicitia semper eos velim es-
se remotos: verum quod hac tua indulgentia
fiant insolentiores & magis temerarii: cum
autem unica sit ratio curandi mali Concilium
videlicet, ideo ad illud est confugiendum:
sterne igitur viam, ut cogi possit, & tanto-
pere desideratam pacem populo Christi redde,
aut saltem arma cohibe interim, dum de re-
publica deliberabitur: nam disceptatione po-
tius utendum est, quam vi & armis: iis de-
positis omnia recte accident. Jam pridem
enim denunciatum est Concilium, etsi bellorum
causæ dilatum sit in commodius tempus: ut
idem ceteri quoque Principes faciant, dabo
operam, imprimis autem apud te, qui jam
bellum geris: Obtempera ergo meis monitis,
& cum sis primogeniti filii loco, parentem
salutaria consulentem amplectere, & mayo-
rum tuorum vestigiis insiste, nec a via regia
descede, nec in sacris tractandis ullum jus

Sæcul. XVI.
A.C. 1544.

Sæcul XVI
A.C. 1544
vel *authoritatem tibi vendica, & disceptationes omnes Religionis ab Imperii Conventibus exclude, & ad meum rejice Tribunal: de bonis etiam Ecclesiasticis nihil statue, sed positis armis paci stude, aut si pax aliter coire non possit, controversiam omnem & bellicauſſas Concilii disceptationi submitte: postremo, quæ nimia quadam lenitudine rebellibus illis atque Romanæ Sedis aduersariis concessisti, ea rescinde, & omnino tolle: nam alioqui futurum, ut, nisi mueri meo deesse velim, maximo quidem Ecclesiæ cum detrimento seuerius agere cogar, quam vel consuetudo mea, vel natura, vel etiam voluntas fert, ut autem officium meum negligisse videri possem, non committam; nam oculis semper obuersatur illud diuinæ seueritatis in Heli Sacerdotem exemplum: adhuc quidem clementia Patris utor, verum si nihil jam proficio, alia mihi ratio ineunda: considera ergo, quid te deceat, & utrum tuum honori, tum rebus magis conducatur, an ut in recuperanda Ecclesiæ tranquillitate senectuti meæ manum præbeas adjutricem, an ut illis saveas potius, qui nihil aliud, quam Ecclesiæ dilacerationem quærunt.*

§. XXXIII.

Responsum Cæsaris ad Papam.

Pallav. hist. Trid. lib. 5. c. 7. n. 1.
Deferebantur hæ Pontificis literæ ad Cæsarem per Davidem Oedatium Brixientem, qui Papæ erat a Cubiculis

lis, eidemque etiam responsum Hispa-Sæcul. XVI.
no idiomate conceptum tradebatur, in A. C. 1544.
quo Imperator hunc in modum rescri-
psit: *Habita ratione maximi gravissimique
momenti verborum ac rerum, quæ in memo-
rato Diplomate continebantur, tantæque ja-
cturæ periculi, cui auctoritas dignitasque
Cæsarea, ac mei nominis existimatio expo-
nebatur, repono, me ad omnia responsurum
in tempore, opportunitate ac loco, quo tunc
declarabo, ostendamque admodum serio, me
nec fuisse, nec præbuisse occasionem ullam in-
commodis, quæ contigerunt Christianæ Rei-
publicæ; quin imo impendi semper omnem o-
peram tam in me, quam in ceteris, ut illis
occurrere, ac mederi possem, prout probi
Cæsaris munus, & auctoritas, ac dignitas
Cæsarea postulabat, pariterque ut Catholi-
cum Principem decebat, eaque ratione, quæ
mihi conveniret in eo, quod spectat ad san-
ctam Sedem. Quod si unusquisque idem
pro suo gradu, statu & conditione perfecis-
set, haud eventura fuissent illa incommoda,
in quibus tunc Respublica Christiana versa-
tur: idque mihi adeo comprobatum est, ut
culpa in eos recidat, qui id merentur, ac ve-
ritas errorem omnem, insimulationem, &
calumniam eximat.*

Sæcul. XVI.

A.C. 1544.

§. XXXIV.

Lutheranorum scripta contra Pontificis literas.

*Cochl in ad.
& script.
Luth. anno
1544. p 308.
Spond. hoc
anno n. 8.*

De hac Pontificis epistola Lutheri a seclæ non eadem verborum moderatione loquebantur; quippe Protestantium nonnulli Latino, alii Germanico idiomate summum Pontificem atrocissimis injuriis ac calumniis convitiabantur; quin imo ipsemet Lutherus contra hasce Papæ literas prolixum valde tractatum Teuthonice conscripsit, simulque in eadem lingua aliud edidit opusculum in quatuor partes divisum, in quarum prima de præcipuis Christianæ fidei articulis contra Papam egit. Secunda pars suæ sectæ professionem continebat. Tertia agitabat hanc quæstionem, quibus signis vera Ecclesia a falsa discerni queat. Quarta demum loquebatur de tribus fidei Catholicæ Symbolis.

§. XXXV.

Cochlæi opera contra Lutheri & Zwinglii Sectatores.

Cochl. p. 309. Verum hæc Lutheranorum scripta mox confutabantur a Joanne Cochlæo, qui hoc anno editis pluribus libris tam Lutheri, quam Zwinglii Discipulos impugnabat. Ipse in suo libro de *actis*

Et scriptis Lutheri recenset I. *Philippicam* Sæcul. XVI.
sextam contra Melanctonem & Bucerum A.C 1544.
pro Coloniensium judicio. II. *Defensionem*
Cæremoniarum Ecclesiæ contra tres libellos
Ambrosii Morbani Wratislaviensis. III.
Disceptationem de novis translationibus ve-
teris & novi Testamenti. IV. *Quadrupli-*
cem rationem concordie super Confessione
Augustana. Hos libros adversus Luthe-
 ri Sectatores edidit Cochlæus, postea ve-
 ro contra Zwinglii asseclas typis vulga-
 vit I. *tractatum de invocatione Sanctorum,*
eorumque intercessione, II. *alium de reliquiis*
atque imaginibus Sanctorum contra Bullin-
gerum. III. *Replicam sat brevem adversus*
prolixam responsonem ejusdem Bullingeri.
 IV. *Libellum de Sacerdotio & Sacrificio no-*
væ Legis contra duos sermones Wolfgangi
Musculi. V. *Historiam de vita Theodorici*
Ostrogothorum atque Italiæ Regis. Præ-
 terea elucubravit Germanico idiomate
 librum *de modo & usu antiquo orandi.*
 Porro, inquit idem Cochlæus, *Clerus*
interim Coloniensis pro fide & Religione Ca-
tholica libris & actionibus diversis virili-
ter Hermani Archiepiscopi sui Lutherana
hæresi infecti conatibus, & attentationi-
bus repugnabat.

Sæcul XVI.
A C. 1544.

§. XXXVI.

Calvini opera hoc anno edita.

*Theod. Beza
in vita Calv.
hoc ann.*

Ex eadem Pontificis epistola Calvinus de necessitate reformandi Ecclesiam tractatum scriptitandi ansam arripuit, simulque Anabaptistarum ac Libertinorum errores ex tota veterum hæresum colluvie conflatos editis duobus libris refellere conatus est. Attamen iis, quæ in postremo hoc tractatu adversus Libertinos protulit, summam Navarrensis Reginae indignationem incurrebat; illa enim assidue versabatur cum duobus præcipuis horum errorum fautoribus, Quintino & Poqueto, quos a Calvino speciatim nominatos Regina tanquam Viros probitate conspicuos venerabatur, atque in illis tantopere confidebat, ut criminibus, quæ iisdem obijciebantur, graviter se læsam crederet. Posthæc Calvinus rem edoctus cum summa animi moderatione Reginae respondit; quippe non modo illam ob generis ac dignitatis suæ prærogativam maximi habebat, sed etiam illius favorem conservare plurimum ei intererat, cum illa novam ipsius sectam patrocinio suo fulciret: eandem tamen objurgabat, eoquod nimia facilitate amicitia sua dignaretur ejusmodi Viros, qui erroneas ac perniciosas opiniones suas ex
pu-

putidis Anabaptistarum fontibus hau-
serunt, easque primo in Galliis evomue-
runt, ac demum per universam Hollan-
diam & Belgium latius diffuderunt.

Sæc. XVI.
A.C. 1544.

§. XXXVII.

*Calvini dissidia cum Sebastiano
Castallione.*

Hoc item anno Calvinus acriorem ad-
huc contentionem habuit cum Se-
bastiano Castallione. Hic in Allobro-
gum ditone seu in Delphinatu vel in
Sabaudia anno Christi millesimo quin-
gentesimo decimo quarto natus lingua-
rum, præcipue vero Hebraicæ peritia
eminuit, ac propterea sacrum Codicem
latine reddere aggressus est; cum au-
tem Latini sermonis puritati nimium
intentus esset, pro suo arbitrio nonnulla
liberius transmutavit, sacramque divi-
narum rerum Majestatem in quibusdam
textibus ob immaturum Latinitatis ac
eloquentiæ studium labefactavit. Equi-
dem Latina ejusdem versio primo prelo
Basileæ prodiit anno Domini millesimo
quingentesimo quinquagesimo primo,
editio tamen ceteris magis commenda-
ta ibidem facta est anno salutis millesi-
mo quingentesimo septuagesimo tertio.
Ceterum Auctor anno Incarnationis do-
minicæ millesimo quingentesimo qua-
dragesimo secundo Genevæ huic versio-

*Beza l. c.
Scevol Sar-
Marth. in
elog. Doct.
Gal. lib. 2.*

ni

Sæcul XVI. ni initium fecit, eamque absolvit anno
A.C. 1544. post Christum natum millesimo quin-
 gentesimo quinquagesimo, eodemque
 tempore aliam sacræ Paginæ versionem
 Gallicam adornavit, quam postea typis
 impressam anno Salvatoris nostri mille-
 simo quingentesimo quinquagesimo quin-
 to Henrico II. Galliarum Regi nuncu-
 pavit. Verum hoc ipso suo labore sibi
 Calvinii invidiam accersivit; hic enim
 ejusdem versionem approbare constan-
 ter renuebat, caussatus, quod ea qui-
 busdam scateret erroribus, ex quibus
 non infimus erat, quod illius Auctor
 Cantica Canticorum tanquam librum
 obscœnum rejecisset, eumque ex Cano-
 nicorum librorum albo expungendum
 censuisset. Eo tempore Castellio Ge-
 nevæ humaniores literas tradiderat, re-
 que comperta acriter in eos inveheba-
 tur, qui sese illius sententiæ oppone-
 bant: ne vero eorum objurgationes om-
 nino inanes viderentur, iidem Castellio-
 nem apud Senatum accusarunt: unde
 comparere jussus ultima mensis Maji
 die re audita ex utraque parte calum-
 niæ reus, convictusque fuit declaratus,
 ac demum etiam Professoris munere
 exutus: Calvinus tamen literis eidem
 consignatis testabatur, quod Magisterii
 sui munus sponte abdicaverit, illud ve-
 ro tanta cum laude obierit, ut in Pasto-
 rem

rem eligi mereretur, ab eo tamen officio hucusque duntaxat ea ex causa exclusus fuisset, quod insolitam propugnasset sententiam de Canticis Canticorum, & de descensu Christi ad inferos. Castallio hoc Calvinii testimonio fretus Basileam contendit, ibidemque perbenigne exceptus vix non eodem momento linguam Græcam tradere iussus est.

§. XXXVIII.

Francisci Xaverii progressus Apostolici in Indiis.

Cum interea tumultus, quibus Europa ob Religionis diffidia agitabatur, plurimum auferentur, orthodoxa fides in Indiis nova in dies cepit incrementa, Principibus ac populis Christianæ Ecclesiæ sese aggregantibus; postquam enim Franciscus Xaverius plus quam integrum annum in ora Piscariæ eo fine absumperat, ut *Paravas* seu margaritarum Piscatores ad Christi fidem adduceret, tandem exeunte anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quadragesimo tertio Goam reverti statuit, ut ex ea urbe ambos laboris sui socios unacum aliis Viris Apostolicis secum abduceret, quo etiam se contulit, comitantibus eum quibusdam adolescentibus natione Indiis, qui in præfatæ urbis Seminario Christianæ fidei mysteriis imbu-

Sæcul. XVI.
A.C. 1544.

Maffee hist.
Ind. l. 12.
Orl. hist.
Soc. l. 4.
Turkel. in vita Francisc.
Xav. l. 2. c. 15

Sæcul. XVI. buerentur, ac progressu temporis in e-
A.C. 1544 gregios Evangelicæ veritatis Præco-
 nes evaderent. Rebus ita dispositis
 anno supra millesimum quingentesimo
 quadragesimo quarto Xaverius ad *Para-*
vas rediit, sequentibus eum pluribus Vi-
 ris Apostolicis tam Europæis, quam In-
 dis, eorum tamen nonnullos in præci-
 puis pagis eo fine reliquit, ut anima-
 rum saluti tanquam Pastores invigila-
 rent, puerosque Christianæ doctrinæ
 rudimentis imbuerent; ipse vero ad
 Travancoridis Regnum, quod in Goæ
 Peninsula situm ad occasum Solis ver-
 git, cum reliquis Sociis suis profec-
 tus est, ibidemque haud minus copio-
 sam, quam antea in ora Piscariæ, Apo-
 stolici laboris messem collegit; quippe
 intra unius mensis spatium decem mil-
 lia Idololatrarum baptismo expiaverat;
 cum ergo quandoque in una die simul
 omnes unius Pagi incolæ sacro fonte
 tingi peterent, quadraginta quinque Ec-
 clesiæ seu Sacella sub primis abjuratæ
 superstitionis auspiciis erigenda erant,
 hancque in rem S. Xaverius, qui ipse
 singulares hosce Evangelii fructus enar-
 rat, hæc addidit: „ Non aliud gratius,
 „ jucundiusve spectaculum erat, quam
 „ cernere idola, eorumque fana ab his-
 „ ce infidelibus ad Christi fidem conver-
 „ sis certatim eorundem pedibus con-
 „ cul-

„culcari, atque destrui, id etiam per Sæcul. XVI
 „mittente hujus regionis Regulo, qui A.C. 1544.
 „Lusitanis foedere junctus erat.

§. XXXIX.

*Travancoridis Rex Evangelii præ-
 dicationi favens.*

Equidem ipse Travancoridis Rex Evangelicæ prædicationi favebat, præcipue tamen ipsius studium accendebat successus omni expectatione major, quo Xaverius ipso etiam debellabat Badagas, gentem totius hujus regionis longe crudelissimam, nam hi vitam per latrocinia ac rapinas ducere assueti cum ingenti suorum exercitu paulo ante Piscariam populabundi invaserant, nunc vero ipsum etiam Travancoridis Regnum devastaturi irruperunt: mox vero Xaverius sola Christi crucifixi imagine armatus exiguum Christianorum agmen colligit, atque ad primos usque hostium ordines provolans, vocis suæ vehementia, nec non summa animi, vultusque constantia Barbaros hosce tanto terrore replevit, ut primæ hostium phalanges novo audaciæ miraculo obstupefactæ ceteras a tergo plurimas, confertasque protererent, atque una omnes nullo servato ordine fugam arripere compellerentur. Reportata hac victoria Xaverius eo tempore, quo in Tra-
 van-

Sæc. XVI. vancoridanum Regnum Christianæ fidei
A.C. 1544. lumen inferre intentus erat, Deputatos
 excepit, qui Miraculorum, atque Apo-
 stolici ardoris fama excitati ex Insula
 Manaria prope Ceilanum advenerant,
 supplices, ut hanc Insulam accedens in-
 colas aqua vitali ablueret, eosque in-
 strueret, qua ratione in earum, quas
 Christianis fecisset, promissionum par-
 tem admitti mererentur: ad hos igitur,
 cum ipse venire haud posset, tum quos-
 dam duntaxat Sacerdotes transmisit,
 firmo constituens animo, quod sequenti
 anno ipse eo contendere vellet.

§. XL.

*Nova Pontificis Bulla pro indicendo
 Concilio Tridentino.*

*Onuphr. in
 vita Pauli
 III.*

Curren- te hoc anno Cæsarem inter &
 Franciæ Regem inita est concordia,
 cujus inter articulos præcipuus erat,
 quo sancitum, ut ambo hi Principes ad
 conservandam avitam Religionem pro
 viribus suam conferrent operam, simul-
 que Papam rogarent, quatenus Syno-
 dum, quamprimum fieri posset, con-
 gregaret: hanc in rem Paulus III. ea-
 rum preces prævenire studuit, veritus,
 ne, si forte ad summas utriusque Mo-
 narchæ preces Concilium indiceret,
 coactus, atque ad id vi compulsus ab
 ob-

obtrektoribus crederetur (*). Igitur ^{Sæcul. XVI.}
 Constitutionem edidit, in qua sequenti ^{A.C. 1544.}
 anno Domini millesimo quingentesimo
 quadragesimo quinto Concilium Tri-
 denti celebrandum indixit. Data est
 hæc Bulla hoc anno Christi quingente-
 simo quadragesimo quarto supra millesi-
 mum

(*) Haud tolerandum videtur, quod Con-
 tinuator ferme semper in Concilii Tridentini
 Historia ementitum Petrum Suavem Polanum
 sequatur, cujus tamen nugæ & mendacia a Pal-
 lavicino efficaciter confutatas ignorare haud
 poterat: turpius tamen adhuc est, quod idem
 Continuator vix unquam tanquam asserti sui te-
 stem adducat eundem Paulum Sarpium, sed ejus
 loco alios Scriptores fide dignos alleget, prout
 in hoc §. non nisi Onuphrium citavit. Hac ni-
 mirum fraude Lectores suos circumvenire, ac
 rei narratæ, licet falsissimæ, fidem conciliare,
 sensimque odium in summos Pontifices, quos
 a celebrandis Conciliis semper alienos fingit,
 instillare satagit: Ad refellendam igitur hanc
 falsitatem in hoc §. allatam sufficit adducere
 verba ejusdem Pallavicini, qui in lib. 5 Hist.
 Conc. Trid. cap. 7. num. 10. Suavem his verbis
 refellit: *Omittamus argumentis eruere falsi-
 tatem, animorum arcana calumniantem; at-
 que ea, quæ magis sub sensum cadunt in re-
 bus publice gestis, manu tangamus. Tantam*
Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. P aber-

Sæcul. XVI. mum die decima nona Novembris, qua
A.C. 1544. eadem die Pontifex promulgata alia
 Constitutione declaravit, quod nova
 summi Pontificis electio, quocunque
 demum modo Petri Sedes tempore Syn-
 nodi vacaret, a Cardinalibus Romæ
 haberetur.

§. XLI.

*aberrat a vero Suavis narratio, ut satis con-
 flet, tam Gallos, quam Casareos, impatientes moræ, Pontifici patefecisse, ut Concilium
 cogeretur: quod si hoc Suavem latebat, quando opposito pro certo sumpto suas in eo fabu-
 las extruxit, oportebat memorem esse docu-
 menti, quod Poetis tradi solet ad concilian-
 dam sibi fidem, præcipientis, ne quæ recentia
 gesta sunt, sibi desumant suis concinnanda
 mendaciis; hæc enim in hujusmodi eventis
 magnum discrimen incurrunt, ne aliquo argu-
 mento inopinato fabulatoribus refellantur: con-
 tra vero in rebus antiquioribus, modo non
 repugnent historicæ, multa superaddi possunt
 citra periculum, ne manifesti redarguantur
 mendacii. Itaque cum veritate pugnare Sua-
 vis narrationem, patet primo quidem ex Fran-
 cisci literis, datis 28. Octobris ad Oratorem
 suum Romæ degentem, quibus jubebatur Pon-
 tificem rogare, Et uti secum fœdus sanciret
 in Regem Britannicæ, Et uti sua impenderet
 hortamenta, quibus Casarem in eandem socie-
 ta-*

§. XLI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1544.*Doctrinæ norma a Lovaniensibus
Theologis proposita.*

Interea Carolus V. Imperator, priusquam Synodus celebraretur, Lovaniensibus Theologis præcepit, ut Conventu habito de dogmatibus in Concilio

Cochl. hoc anno p. 311.
Raynald. hoc anno. n. 35.

P 2

lio

tatem traheret. Cumque exploratum esset, rem feliciter gestum iri, potissime si a cunctis reliquis Christianis pax iniretur, ad quam plurimum conducturum ambo Principes existimaverant Concilium, ipsis comprobantibus Tridenti celebrandum; idcirco Pontificem Rex orabat, ut in præsentia suspensione sublata ipsum tres intra menses convocaret. Nec eam Regis petitionem celavit Pontifex, quasi cupidus ostentandi, se illius auctorem minime rogatum haberi, quin eam legendam protulit Senatui 7. Novembris, ut est in Senatus actis; & post 12. dies suspensionem sustulit. Et usque adeo nulla usus est arte præscribendi temporis Transmontanis angusti, ac suis duntaxat accommodi, ut unius mensis moram adjecerit spatio, quod Gallus expetierat. Eadem a Cæsarianis voluntas exposita Pontifici. Et Granvellanus Poggio Nuntio dixerat post adventum Sfondrati, sapienter acturum Pontificem, si novis postulationibus haud expectatis Concilii suspensionem amoveret. Poggius

vero

Sæc. XVI.
A.C. 1544.

lio proponendis deliberarent, eaque scripto traderent. Ea igitur dogmata præfati Doctores ad triginta duo capita revocarunt, atque in singulis novæ hujus reformationis errores impugnarunt, quamvis ad ea firmanda nullum ex sacris Literis locum adducerent, partim brevitati consulturi, partim ex eo id facientes, quod ejusmodi propositiones jam satis superque aliis scriptis hanc in rem editis comprobatæ fuissent. Erant autem articuli sequentes:

I. *Credendum est, septem esse Ecclesie Sacramenta a Christo instituta, quæ sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Unctio, Ordo, Matrimonium, per quæ (quamvis corporalia & externa signa) Deus invisibiliter sive per bonos, sive per malos Ministros nostram salutem operatur.*

II. *Baptismus ad salutem omnibus est necessarius, etiam infantibus, per quem peccata plene tolluntur, & fiunt filii Dei, ac hæredes vitæ æternæ: nec unquam est iterandus.*

III. Pœ-

vero id ad Farnesium scripsit 8. Novembris; unde responsum ab eo, post relata in duplicem Senatam utriusque Principis sensa decretam fuisse ea die Concilii convocationem.

III. *Pœnitentiæ Sacramentum, quod Sæcul. XVI. post Baptismum omnibus relapsis est ad salutem necessarium, complectitur Contritionem, Confessionem & Satisfactionem.* A.C. 1544.

IV. *Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus, cum proposito consinendi & satisfaciendi, non autem (ut quidam hoc Sæculo perniciose docent) terror conscientie propter apprehensum gehennæ supplicium peccatis debitum; præparat enim hic terror, & gehennæ metus ad veram animi contritionem.*

V. *Confessus diligentiam legitimam adhibere debet, quod Sacerdoti Judici manifestet omnia peccata sua mortalia, etiam occulta cordis, ut ab iis per ipsum absolva- tur; cujus absolutionis Minister est solus Sacerdos, secundum Ecclesiæ ritus consecratus.*

VI. *Satisfactio est persolutio pœnæ, plerumque adhuc debitæ, remissa jam culpa: nam omnem pœnam peccato debitam semper condonari culpa remissa, erroneum est, & Scripturis sacris adversatur.*

VII. *Certa fide tenendum est, hominem habere liberum arbitrium, quo potest mala, & cum gratia Dei bona agere, & post mortale peccatum Deo adjuvante pœnitere, & peccatorum remissionem consequi.*

VIII. *Ad justificationem ante omnia necessaria est in adultis fides, qua certo credimus, Christum Jesum Dei Filium*

Sæcul. XVI. nobis propitiatorem a Patre propositum
 A.C. 1544 esse pro peccatis nostris in Sanguine ip-
 sius, sine qua nullis nostris operibus, nul-
 laque pœnitentia justificatio obtineri potest,
 sicut nec fide sola sine pœnitentia, & pro-
 posito vivendi secundum mandata Dei.

IX. Fides, qua quis firmiter credit,
 & certo statuit, propter Christum sibi re-
 missa esse peccata, seque possessurum vitam
 æternam, nullum habent Scripturæ testi-
 monium, imo eidem adversatur, etiamsi
 firma ac certa Spe exspectare debeamus in
 hac quidem vita per Sacramentum Bap-
 tismi & Pœnitentiæ peccatorum remissio-
 nem, in sæculo autem futuro vitam æ-
 ternam.

X. Itaque quamdiu inter hostes nostros
 & adversarias potestates hic vivimus, nul-
 la nobis est securitas, sed cum timore &
 tremore (juxta sententiam Apostoli) no-
 stram salutem operari debemus, & secun-
 dum varias animorum nostrorum affectio-
 nes, nunc magis sperare, nunc magis ti-
 mere, simpliciter tamen magis & frequen-
 tius de misericordia Domini sperandum
 est, quam formidandum de severitate.

XI. Opera bona omnibus adultis sunt
 ad salutem necessaria, & cum ex Fidei
 & Charitatis spiritu proficiuntur, ea
 grata sunt Deo, & eis tanquam justam
 mercedem vitam tribuet æternam.

XII.

XII. *Confirmatio & extrema Unctio Sæcul. XVI. Sacramenta sunt a Christo instituta, sed* A.C.1544.
non ut duo præcedentia ad salutem neces-
saria, ex contemptu tamen illa omittere
mortale peccatum est.

XIII. *In Eucharistiæ Sacramento est*
re ipsa verum Corpus Domini nostri J E-
su Christi, illud ipsum, quod de Virgi-
ne natum est, & in cruce passum est.

XIV. *In Eucharistia non manent pa-*
nis & vinum, sed hæc in Corpus & San-
guinem Christi admirabili potentia Verbi
ipsius sunt conversa, manentibus tamen pa-
nis, viniq; speciebus. Unde certa fide
tenendum est, sacram Eucharistiam sancte
a nobis adorari, sive in Missa, sive ex-
tra Missam reposita fuerit, aut quoties in
supplicationibus publicis a Sacerdote cir-
cumfertur.

XV. *Non est Laicis necessaria ad sa-*
lutem Communio sub utraque specie, ju-
stisque de causis ab Ecclesia sancitum est,
ut illa sub una tantum specie panis su-
meretur, in qua Carnem & Sanguinem,
atque ita totum Christum sumant.

XVI. *Sacrificium Missæ ex institu-*
tione Christi tam vivis prodest, quam de-
functis.

XVII. *Solis Sacerdotibus secundum*
Ecclesiæ ritum ordinatis data est a Chri-
sto potestas consecrandi verum Corpus Chri-
sti & Sanguinem.

Sæcul. XVI. XVIII. *Matrimonium contractum & consummatum inter Christianos est indissolubile, qualiscunque fiat alter Conjugum sive adulter, sive sterilis, sive hæreticus.*

XIX. *Nunquam licet Christiano post divortium contrahere Matrimonium vivente ea, cum qua prius legitime contraxerat.*

XX. *Matrimonia contracta contra Canones ipsa dirimentes simpliciter sunt irrita & nulla.*

XXI. *Firma tenendum fide, unam esse in terris veram & Catholicam Dei Ecclesiam, eamque visibilem, quæ ab Apostolis fundata, in hanc usque ætatem nostram perdurans retinuit & suscepit, quidquid de fide & Religione tradidit, tradit, traditura est Cathedra Petri, super quam ita a Christo suo Sponso est ædificata, ut in his, quæ fidei sunt, & Religionis, errare non possit.*

XXII. *Extra hanc nulla speranda est salus, suntque extra eam Hæretici, Schismatici & Excommunicati, unde vehementer formidanda est excommunicatio, nec humana, sed divina est excommunicandi potestas.*

XXIII. *Unus est Ecclesie summus Pastor, cui omnes obedire tenentur, ad cujus iudicium controversiæ, quæ super fide & Religione existunt, sunt referendæ.*

XXIV.

XXIV. *Summam hanc Præposituram* Sæcul. XVI.
A.C. 1544.
primus omnium gessit S. Petrus, verus Christi in terris Vicarius, & totius familie ejus Pastor, post Petrum vero ex Christi institutione omnes deinceps Pontifices, Petri in Cathedra Successores.

XXV. *Certa fide tenenda sunt, non solum quæ Scripturis expresse sunt prodita, sed etiam quæ per traditionem Ecclesie Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita sunt super fidei, & morum negotiis per Cathedram Petri, vel per Concilia generalia legitime congregata.*

XXVI. *Constitutiones Ecclesie de celebrandis Festis, & abstinentia ciborum, aliisque multis obligant in conscientia, etiam extra casum scandali.*

XXVII. *Recte fit in Ecclesia, quod Sanctos in Cælis cum Christo agentes veneramus, & invocamus, ut pro nobis orent, quorum etiam meritis & intercessione Christus nobis hic multa largitur, alias non largiturus, per quos etiam miracula multa in terris operatur.*

XXVIII. *Quapropter sancte & religiose faciunt, qui loca eis dicata unacum ipsis Reliquiis religiosa pietate visitant, & hoc modo ab ipsis opitulationem quæerunt.*

XXIX. *Gratus est & Deo Imaginum usus, recteque coram eis procumbimus invocaturi eos, quos repræsentant.*

XXX.

Sæcul XVI.

A. C. 1544.

XXX. Firmiter credendum est, post hanc vitam Purgatorium esse animarum, in quo solvitur peccatum adhuc debitum, eisdem tamen subvenitur Sacrificio Altaris, jejunio, Eleemosyna, aliisque bonis operibus vivorum, sicut & indulgentiis, quo citius ab eo liberentur.

XXXI. Animæ Defunctorum purgatae mox regnant cum Christo in Cælis, & animæ impiorum hinc migrantes sempiternis inferni traduntur suppliciis.

XXXII. Recte Deo Vota facimus, tam monastica, quam alia, & facta obligant apud Deum, nec adversantur libertati Evangelii, quæ a peccatis libertas est, & iis, qui spiritum nostrum quodammodo impediunt, quo minus totus Deo serviat, aut a juramenti obligatione, sive ab obedientia Magistratus Ecclesiastici, vel secularis liberat.

Propositi fuere hi articuli die sexta Novembris anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, & postea Lovaniensis Facultas Decretum edidit, hujus tenoris: Mandamus Theologiæ studiosis omnibus quacunque ratione nobis subjectis, & in posterum subjiciendis, primum, ne quid usquam doceant, aut proferant, quod dogmatibus his contrarium sit: deinde, ut eadem, cum locus & occasio postulabit, tueantur, & explicent ad veteris & orthodoxæ fidei custodiam,

diam, & ædificationem Christiani populi, Sæcul. XVI.
 si qui vero contraria agant, eos pro modo A.C. 1544.
 Facultatis nostræ omnino punire decrevi-
 mus.

Præterea ipsemet Cæsar promulga-
 to edicto hanc doctrinam omnino se-
 quendam esse decrevit.

§. XLII.

*Fidei articuli a Parisiensi Facultate
 Theologica itidem propositi.*

Cum jam antea Galliarum Rex ejus-
 modi articulos proponendi manda-
 tum Parisinæ Facultati Theologicæ de-
 disse, illius Doctores hæc Regis jussa
 anno Christi millesimo quingentesimo
 quadragesimo secundo die decima octa-
 va Januarii executi sunt, ac viginti no-
 vem articulos, quos jam alibi recensui-
 mus, proposuerunt: hoc autem anno
 eadem Facultas Doctoribus æque ac
 Baccalaureis, ne doctrinam his articu-
 lis adversam traderent, severe inhibuit,
 præcepitque, ut articulis hisce subscri-
 berent: nec minus postea Verbi divini
 Præcones hortata est, ut S. Spiritus gra-
 tiam per B. Virginis Mariæ intercessio-
 nem pro more implorarent. Hæc Fa-
 cultatis statuta Rex promulgari jussit,
 eosque, qui contrarium docere præsu-
 merent, pœnis coerceri voluit, cui ac-
 cessit quoque summi Pontificis approba-
 tio.

*Vid. lib. CXL. §. 74.
 Et 75.
 Argent. t. 2. p. 133.
 Steid. comm. l. 16. p. 529.*

Sæc. XVI.
A.C. 1544.

tio. Insuper Franciscus Rex, quamprimam Concilium fuisse indictum compererat, mox ad Fontem Bellaqueum, ubi tum agebat, Parisiensis Facultatis Theologos accersivit, qui etiam Regis mandato morem gerentes, Meloduni convenere, ac de fidei dogmatibus in Synodo proponendis, ac necessario definiendis deliberarunt; ast circa doctrinam nulla nec mutatione, nec additione facta articulis jam antea decretis infiterunt, quamvis non idem inter eos esset opinionum consensus circa Disciplinam; eorum enim nonnulli Decreta in Constantiensi & Basileensi Conciliis promulgata confirmari, nec non Pragmaticam Sanctionem instaurari postulabant: alii vero hæc contentionum argumenta nullatenus revocanda censebant; verebantur enim, ne Rex offenderetur ejusmodi petitionibus, eo quod hæc omnino contrariæ essent concordato, quod idem cum Leone X. summo Pontifice olim erexerat (*).

§. XLIII.

(*) De successu hujus consultationis Parisinæ Sleidanus loc. cit. ita differit: *Hujus deliberationis hic fuit exitus, ut, licet multum esset inter eos altercationis, tamen in iis, quæ jam antea promulgaverant Lutetia, nihil immutarent.*

§. XLIII.

Sæcul. XVI.

A. C. 1544.

*Tredecim Cardinales a Paulo III.
Papa creati.*

Concilio Tridentum convocato Paulus *Ciac. invita*
 III. tredecim Prælatos purpura de- *Pont. t. 3. p.*
 coravit, quos inter primus erat Caspa- *688.*
 rus de Avalos natione Hispanus, primo *Sleid. p. 524.*
 Murciensis, postea Garundensis Antistes, *Raynald.*
 ac denique Granatensis & Compostella- *ann. 1544.*
 nus Archiepiscopus, qui, cum absens *n. 40.*
 esset, Ecclesiæ titulo caruit. II. Geor-
 gius Armaniacus natione Gallus, qui ex
 Archiepiscopo Tolosano atque Avenio-
 nensi inter Cardinales Presbyteros titu-
 lo SS. Joannis & Pauli cooptatus est.
 III. Franciscus de Mendoza, itidem Hi-
 spanus, Cauriensis Episcopus, ac Pres-
 byter Cardinalis titulo S. Mariæ in Ara
 Cœli. IV. Jacobus Annebaldus Gal-
 lus Archithalassi Franciæ Patruus, &
 Lexoviensis Episcopus, Presbyter Car-
 dinalis titulo S. Susannæ. V. Otho
 Truchsesius, natione Germanus, Epi-
 scopus Augustanus, Presbyter Cardin-
 alis titulo S. Balbinæ. VI. Bartho-
 lomæus de la Curva Albuquerqueii filius,
 natione Hispanus, qui rexit primo Cor-
 dubensem Ecclesiam, postea vero Pres-
 byter Cardinalis titulo S. Matthæi in
 Merulana nominatus est. VII. Fran-
 ciscus Sfondratus Cremonæ natus, pri-
 mo

Sæc. XVI. mo Cremonensis ac Sarnensis Episcopus, postea Amalphanus Archiepiscopus, ac demum Presbyter Cardinalis S. Anastasiæ. VIII. Fridericus Cæsius patria Romanus, ex Tudertino Episcopo Presbyteris Cardinalibus titulo S. Pancratii adscriptus. IX. Durantes de Durantibus, natione Italus, patria Brixienfis, primo Algarenfis, postea Calfanus Episcopus, ac Presbyter Cardinalis titulo SS. duodecim Apostolorum nec non Brixienfis Antistes. X. Nicolaus Ardinghellus, patria Florentinus, Foro-Sempronienfis Episcopus, Presbyter Cardinalis titulo S. Apollinaris. XI. Andreas Cornelius, Venetus, Brixienfis Episcopus, Cardinalis Diaconus titulo S. Theodori. XII. Hieronymus de Capite ferreo, patria Romanus, Episcopus Niciensis, Cardinalis Diaconus titulo S. Georgii in Velabro. XIII. Tiberius Crispus, itidem Romanus, Diaconus Cardinalis titulo S. Agathæ.

§. XLIV.

Petri de la Baume Cardinalis obitus.

Ciac. in vita Pont. p. 664. S. Marth. in Gall. Christ. Sadol. in ep. Ludov. Dome- nius. **H**ic annus non nisi exiguo Cardinalium numero exitialis fuit; eorum enim non nisi duo fati cessisse leguntur, quos inter primus erat Petrus de la Baume de Montrevel Bressiæ ex parentibus Gui-

Guidone de la Beaume Comite de Montrevel, & Joanna de Longovico natus. Sæc. XVI. A.C. 1544.
 Hic a puero Clericali militiæ adscriptus D'Attichy in hist. Card.
 primo ad S. Joannem de Lugduno Canonicus, & postea Asceterii S. Claudii, B. Mariæ Pinerolii, S. Justi Secusienfis, ac denique Monasterii ad S. Joannem Abbas renuntiatus est: Anno autem Christi millesimo quingentesimo vigesimo tertio Genevensis quidem Ecclesiæ possessionem accepit, cum vero eadem urbs progressu temporis novos errores amplecteretur, noctis beneficio clam in scapha per lacum Lemanum elapsus ad suam S. Claudii Abbatiam in Burgundia inferiori sitam sese recepit, ubi omnem, quem temporis iniquitas indulgebat, conatum impendit, ut dispersum gregem suum e luporum faucibus ad ovile reduceret; quin imo elapso quinquennio ad Diœcesin suam rursum redire tentabat, verum prævalente hæresis impietate nil propius esse videbatur, quam quod hæretici furoris victima caderet, quapropter altera jam vice anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo trigesimo quinto clam fuga salutis suæ consulere coactus est, nec ultra post secundum hunc discessum ipse rediit, nec civitas unquam ab illo tempore ex Catholicis Episcopum habuit. Posthæc Paulus III., cum die de-

Sæc. XVI. **A.C. 1544.** decima quarta Decembris anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo nono Cardinales creaverat, Petrum quoque Cardinalitia dignitate auxit, atque anno Incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo secundo Bisuntinam Ecclesiam eidem concessit, qua tamen dignitate haud diu potitus die quarta Maji anno salutis millesimo quingentesimo quadragesimo quarto supremum diem obiit, & Arbosii in superiore Burgundia, quam Comitatum vocant, sepultus est in templo S. Justi penes fratrem suum Claudium aurei Velleris Equitem.

§. XLV.

Puccii Cardinalis extrema.

Ciacon. t. 3. p. 522. *Ughel. Ital. sacra.* *S. Marth. in Gall. Christ.* *Aubery vit. Card.* Alter erat Antonius Puccius, patria Florentinus, Alexandri apud eandem Rempubicam Senatoris filius, neposque Laurentii & Roberti Pucciorum itidem Cardinalium, quorum prior anno Christianæ salutis millesimo quingentesimo trigesimo primo mortalitatem exiit, alter vero non nisi duobus annis, & paulo amplius Antonio vita superstes fuit. Hic idem a suo Patre liberaliter educatus primo studiorum causa Pisas mittebatur, inde vero Florentiam ad patrium solum revocatus, ibidem Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicus fuit re-

renuntiatus, magnumque sibi nomen Sæcul. XVI.
A.C. 1544.
 conciliavit non modo sermonibus suis, sed sua etiam perspicuitate, qua plura sacrae Paginæ loca vel maxime abdita interpretatus est: Posthæc a Laurentio Cardinale Patruo suo Romam accersitus ex ipsius cessione Pistoriensem Episcopatum obtinuit, ejusque opera Cameræ Apostolicæ Clericus fuit electus, qua dignitate conspicuus Lateranensi interfuit Concilio, ibidemque in Sessione nona Latinam orationem ad Synodi Patres non sine magno applausu habuit. Paulo post tanquam Sedis Apostolicæ Legatus primo ad Helvetios, demum ad Gallos decernebatur: inde vero Romam reversus captus est a Cæsareis, qui anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigesimo septimo urbem occupantes eundem Cardinalem abstraxerunt unacum ceteris obsidibus, qui crudelem ac vere barbarum in modum habebantur, tandemque propudiose ad aciem campi Floræ rapiiebantur, ibidem tanquam flagitiosi extremo supplicio multandi. Verum prospera adhuc illis aderat fortuna; quippe nocte concubia clam suorum custodum manus effugerant, ad Clementem VII. redeuntes, a quo Puccius in Hispaniam, & postea in Gallias ad pacem inter Carolum V. & Franciscum I. reconciliandam,
Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. Q ma-

Sæcul. XVI
A.C. 1544.

mutuumque bellum feliciter præpedien-
 dum ablegatus fuit, quo munere tam se-
 cundo functus est successu, ut in laboris
 sui præmium ab eodem summo Pontifi-
 ce die vigesima quinta Septembris an-
 no Domini millesimo quingentesimo tri-
 gesimo primo purpura decoratus fuerit:
 mox vero in Ecclesiasticis beneficiis,
 nec non in majoris Pœnitentiarii mune-
 re Laurentio Puccio Patruo suo, qui
 hoc anno obiit, successit, ac denique
 expletis omnibus digni Præsulis parti-
 bus Balneoregii in Hetruria anno mil-
 lesimo quingentesimo quadragésimo
 quarto die decima quarta Octobris an-
 nos natus sexaginta mortalitatem exiit.
 Corpus ejus Romam delatum, ibidem in
 Ecclesia S. Mariæ supra Minervam pro-
 pe Clementis VII. tumulum terræ man-
 datum fuit. Reliquit Puccius quædam
 ingenii sui monumenta, ac præprimis
 quatuor Homilias non minus eruditio-
 ne, quam pietate celeberrimas, quibus
 titulum præfixit: *De Corpore & Sanguine*
D. N. Jesu Christi, de Sacrificio, ejus-
demque sacrorum Verborum declaratione.
 Hoc opus post Cardinalis Puccii obitum
 Antonius Georgius publici juris fecit,
 illudque Cardinali de Monte nuncupa-
 vit.

§. XLVI.

Jacobi Latomi mors.

Sæcul. XVI.

A.C 1544.

Eodem hoc anno ex Scriptoribus Ecclesiasticis non nisi unum vivis eruptum reperimus. Hic erat Jacobus Latomus Cambronii exiguo Hannoniæ oppido prope quamdam Abbatiam natus, qui emenso studiorum curriculo Theologiæ Doctoris Laurea Lovanii decoratus, in eadem urbe Canonicus ad S. Petrum renunciatus est, sibi que ingens nomen suo contra hæreses zelo comparavit; quippe adversus Lutherum ejusque Sectatores plurimos libros elucubravit summa quidem facilitate, minori tamen sermonis concinnitate, eo quod Theologiæ scholasticæ præceptis pertinacius insisteret: de cetero integerrima judicandi vi, atque eruditionis ubertate eminebat inter celeberrimos, quibus illo ævo Lovaniensis Universitas florebat, Doctores jure numerandus. Porro cuncta ejus opera, cum Græcæ ac Hebraicæ linguæ peritia careret, Latino sermone conscripta potissimum controversa fidei dogmata spectant, quibus sequentes præfixi sunt tituli: I. Apologia censuræ Facultatis Lovaniensis contra Lutheri articulos. II. Responso ad libellum ab eodem Luthero editum. III. Tractatus de Primatu Pon-

*Cocc. in Cat.
Bellarm. de
Script. Eccl.*

Q 2

ti-

Sæcul. XVI
A. C. 1544.

tificis contra eundem. IV. Alius de variis quæstionum generibus. V. Liber de Ecclesia. VI. Opusculum de Confessione secreta. VII. Responso ad Helleborum Joannis Oecolampadii. VIII. Confutatio Oeconomix Christianæ. IX. Dialogi duo de trium linguarum, & studii Theologici ratione. X. Apologia pro Dialogo de tribus linguis. XI. Tractatus adversus librum Erasmi de facienda Ecclesiæ concordia. XII. Tres libri contra Gælielmum Tindalum. XIII. Opusculum de Matrimonio. XIV. Ac denique disputatio quodlibetica tribus quæstionibus absoluta. Cuncta hæc opera Latomus ab anno Domini millesimo quingentesimo decimo nono elucubravit usque ad annum millesimum quingentesimum quadragesimum quartum, quo obiit: ea vero Jacobus Latomus ejus nepos anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo Lovanii in forma majori edi curavit.

§. XLVII.

Erasmi a Latomo impugnati vindicæ.

Ceterum Latomus non modo Lutherum, ejusque assecclas confutare nitabatur, sed Erasmus quoque in suo tractatu *de variis quæstionum generibus* impugnasse videtur; ibidem enim illos re-

dar-

darguit, qui contra opiniones communi
 Ecclesiæ sensui adversas aperto Marte
 dimicare haud reformidant, atque Catho-
 licos cum hæreticis quodammodo com-
 ponere videntur: Speciatim vero La-
 tomus suum tractatum de trium lingua-
 rum, & studii Theologici ratione elucu-
 bravit contra Erasmum, quem ideo re-
 darguit, quod nimium linguarum peri-
 tiam commendet, ex adverso autem
 Theologiæ scholasticæ studium vilipen-
 dat. Ceterum hoc Latomi opus dialo-
 gum exhibet, in quo tres Viros inter se
 colloquentes inducit, quorum primum
 vocat *Petrum Rhetoricæ & Linguarum stu-
 diosum*, alterum *Joannem scholasticæ Theo-
 logiæ studiosum*, tertium denique *Alber-
 tum*, quem *indifferentem & totius Theolo-
 giæ rudem* appellat. Ibidem Latomus
 sequentes enuntiat propositiones: 1. *Ha-
 bentibus pietatem Scripturæ sacræ non sunt
 necessariæ, & fortiori ratione neque Lin-
 quæ*, sine quibus sacræ Literæ intelli-
 gi possunt (*). II. *Sufficit, si quis post me-
 dio-*

Sæcul. XVI.

A. C. 1544.

Q 3

dio-

(*) Continuator tamen addere debuisset
 ex eodem Latomo illa verba, quibus suam
 propositionem explicat in libro suo ita disse-
 rens: *Ista tamen non eo tendunt, ut ipsæ
 linguæ negligantur, aut inutiles reputentur,
 sed ne, dum eis plus æquo tribuitur, in spem
 fal-*

Sæcul XVI. *diocrem Grammaticæ notitiam in Dialecti-*
 A.C. 1544. *ca versatur, Mathematicas disciplinas attingat, & alias scientias, quæ ingenium acunt*
 (*). *Postea ad Theologiam scholasticam digrediens omnes illius utilitates enarrat, atque præcipuis adnumerat hasce, quæ sequuntur: I. Scholastici singulas Theologicæ eruditionis materias in locos certos ordinate reponunt. II. In Scholasticis singulæ materiæ loco suo & ordine reperiuntur. III. Idem certis fidei regulis & sanctæ doctrinæ dogmatibus inconcussis cuncta nudis aptisque verbis tradunt. IV. Ea, quæ veterum tempore erant indi-*

falsam, vel desperationem adducti juvenes salantur, atque interim majora negligant, in rebus novis & plausibilibus principale studium collocantes, & in grandem totius vitæ iacturam in rebus infimis aut mediis quasi summis hæreant, ceteros, qui talia nesciunt, aut meliorum intuitu parvi pendunt, insipienter irrideant. Sunt etenim habendæ gratiæ iis, qui linguis docendis, & codicibus emendandis, honesta studia adjuvant, modo ne suum laborem ita æstiment, ut melioribus, quibus insudant, afferat detrimentum.

(*) Quam diversa itidem mente Latomus hanc propositionem enuntiaverit, ex ipsius verbis manifeste elucet; agens enim de Theologo Novitio ita disserit: *Qui angustiorem &*

cisa & incerta, ipsi juxta Ecclesiae determinationem tradunt. V. Falsas Philosophorum opiniones confutant. Postea Latorum eos impugnat, qui Theologiam Scholasticam ideo carpunt, quia *quaestiones curiosas & superfluas pertractat.* Tandem Novitios Theologos hortatur, ut huic studio sedulam navent operam.

Ad refellendum hunc Dialogum Erasmus intra duos mensis Martii dies anno supra millesimum quingentesimo decimo nono suam responsionem concinnavit, quæ in duos libros divisa in

Q 4 no-

spiritualem Theologiae faciem intuentur, censent, doctrinae formam esse optimam, si novitius Theologus, creditis primum firmiter & fideliter acceptis Christianae Religionis dogmatibus post mediocrem Grammaticae notitiam non perfunctorie, sed, ut dicitur, ad vivum in vera Dialectica versetur, generalia degustet Philosophiae naturalis, Mathematicas attingat disciplinas, maxime Arithmeticam propter numeros, diligenter excutiat moralem Philosophiam: Metaphysicam, quæ proxima Theologiae est, gnauiter intendat, deinde in subtilibus speculativae Theologiae diligenter incumbat, interim tamen ab initio studii Theologici, singulis diebus (si fieri potest) in textu Biblicae aliquamdiu versetur, ipsum primitus

Sæc. XVI.
A.C. 1544.

Sæcul. XVI. nono operum suorum tomo reperitur.
A.C. 1544. In prima hujus responsi parte sua propugnat præcepta, quæ Theologiæ Candidatis tam pro humaniorum literarum ac profanarum scientiarum studio, quam pro Theologia, sacrisque Literis, ac SS. Patribus præscripsit, & postea paucis verbis ea, quæ ipsi Latomus objecerat, diluit, simulque illos discutit articulos, in quibus ipse ab adversarii sui sententia discrepat. Verum ad hæc minime obmutuit Latomus; brevem enim conscripsit apologiam, in qua paucis causam suam defendit, atque de versionibus, & sacræ Paginæ lectione discurrit, neutiquam tamen penitus eorum damnat conatus, qui veteres versiones emendare

tus leviter perlegendo, deinde memoriæ commendando singulis diebus certam portionem, incipiens a novo Testamento, in quo si dubitet, videat Doctores & Glossas potius, quam se in translationibus & linguis torqueat, utens eorum labore, qui circa alia occupantur, ne, dum minora scrupulosius scrutatur, ad majora non perveniat, tandem in iis legitimis laboribus, sedatis affectibus juvenilis ætatis, sese tuto committat Doctoribus veteribus, quos melius intelliget, securius leget, penitus inspiciet, atque rimabitur, quos si scholasticos antea legat, postea scholasticos aut non leget, aut

dare aggrediuntur, interim vero haud ^{Sæcul. XVI.} consultum cenſet, quod rudioribus Lai- ^{A.C. 1544.} cis ſacri Codicis in linguam patriam translati lectio permittatur, niſi hæ verſiones ſint exactæ, atque integra fide concinnatæ: Præterea exigit, ut tum ejuſmodi Lectores moderationis ac ſubmiſſionis ſenſu abundant, cum autem hodierno ævo vulgus ejuſmodi prærogativis careat, ſed potius novitatum percupidum, vanaque ſua fiducia elatum exiſtat, eidem promiſcuam ejuſmodi lectionem permittere, nequaquam expedire aſſerit, qui etiam ſcripſit alium, licet nondum elaboratum, tractatum contra Eraſmi librum *de ſarcienda Eccleſiæ concordia* (*).

Q 5 §. XLVIII.

aut cum nausea leget non sine suo magno malo.

(*) Quibus de cauſſis Latomus ad impugnandum Eraſmum fuit permotus, ipſemet in ſua præfatione ad Guilielmum de Croi Cardinalem hiſ verbis declarat: *Nuper cum ævi noſtri ſtudia attentius conſiderarem, varie & diſerſe afficiebar, hinc quidem gaudio, inde vero dolore; gaudio, quod liberales diſciplinas renaſci, ſtudia vigere, doctos honorari, eruditorum honeſto labore bona ſtudia mirum in modum adjuvari, horum induſtria bonos Auctores in lucem emergere viderem, plurimis*
paſ

Sæcul. XVI.

A.C. 1544.

§. XLVIII.

Alia ejusdem Scriptoris opera contra
Lutherum & Oecolampadium.

Idem Auctor in suo de Ecclesia tractatu asserit, quod Ecclesiæ unitas dependeat ab eo, quod exacta uni solique universali illius Pastori, qui haud alius est, quam Episcopus Romanus D. Petri Successor, submittio præstetur. Postea Ecclesiæ non modo de sano sacræ Pagi-
næ

*passim pulcherrimo certamine contendentibus, quo alios merendo sui memores efficiant; e diverso vero dolore, quod non pauci, neque in- celebres viri tam impense quibusdam studiis faveant, ut alia recepta, atque longo usu probata damnent, nec id obscure, sed palam editis, & evulgatis libris, scholasticas exercitationes Universitatum reprobantes, Doctores scholasticos, ob styli humilitatem, ac jejunitatem rejicientes, quod sine honorum & doctorum virorum injuria, ac certa adolescentia pernicie fieri non arbitrabar, dolebam revera quod viri quidam eruditi, lapsa studia juvare conati, non sic stylum temperarent, ut, dum mala auferunt, bona non lædant, nec satis caverent, ne, ut ait Lucanus, excedat medicina modum, & ut aliquid ex Evangelio attingam, dum zizania colligunt, evellant simul & triticum. Hoc siquidem agunt mea
seno*

næ sensu judicandi, nec non excommu-
nicandi, ac peccata remittendi spiritua-
lem attribuit facultatem, sed etiam hæ-
reticos mortis supplicio plectendi, quin
imo (quod tamen haud propugnari po-
test) ipsos etiam Principes supremo do-
minio, suisque ditionibus privandi po-
testatem attribuit, nec non in operis sui
calce Gersonium confutat, eoquod ille
tradidisset, sub peccati pœna humanas
leges non adstringere, nisi illæ cum ip-
sa

Sæcul. XVI.
A.C. 1544.

sententia, qui juris studiosos a Baldo, & Bartholo avertunt, atque legum studium sic eis commendant, ut ejus studii optimos duces, quod sui temporis lingua locuti, parum Latini videantur, rejiciant, qui & Theologiæ Candidatis Canonem sacrum, & Theologos veteres ita prædicant, ut eos a Thoma, Bona-ventura, Alexandro, & similibus prorsus avocent, censentes, manifeste eam vitæ partem perditam, quæ istis impenditur. Hæc itaque cum cernerem, eam partem, quæ pene inclinata videbatur, pro virili sustentare conabar, his paucis diebus ab aliis feriatus, tumultuarie quædam de tribus linguis collegi, de optima studii Theologici ratione causas quasdam, cur Doctores scholastici, novitio Theologo non legendi modo, sed & veteribus prælegendi sint, subjunxi, & de Sophistarum ab artifi- sibus differentia.

Sæcul. XVI. sa lege divina vel naturali connexæ sint
A.C. 1544 Porro in suo libro de Primatu Pontificis Latomus totus in eo est, ut cuncta refellat, quæ Lutherus vel pro enervandis hujus Primatus argumentis, vel pro hac prærogativa omnino evertenda scriptitabat.

Edidit quoque Latomus librum de Confessione secreta in tres partes divisum, in quarum prima eam nequaquam grave jugum esse appellandam demonstrat, in altera vero parte illam pro obtinenda peccatorum, quæ post Baptisma fuerit perpetrata, remissione omnino necessariam ostendit, atque in tertia denique eam ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. celebratum longissimo tempore jamjam invaluisse declarat, pluraque producit testimonia SS. Patrum, atque Ecclesiæ Doctorum, ex quibus secretæ Confessionis antiquitas comprobatur. Adversus hunc librum suos quidem calamos acuit Oecolampadius: at Latomus confestim respondit, hujusque hæretici errores confutavit.

Cum autem eodem tempore alius quidam libellus suppresso Auctoris nomine sub titulo: *Oeconomia Christiana*, in lucem ederetur, ibidemque falsa Lutheri dogmata circa Justificationem propugnarentur, nec non Monachorum vota

ta

ta tanquam nova hominum inventa de-Sæcul. XVI.
 riderentur, hinc Latomus huic libro A.C. 1544.
 duos opposuit tractatus, in quorum pri-
 mo comprobatum reddidit, quod vera fi-
 des non excludat pias actiones, nec e-
 tiam soli fidei justificatio adscribenda
 sit, cum illa non nisi hujus initium sit.
 In altero tractatu Castitatis, Paupertatis
 & Obedientiæ Vota, quæ in sacris
 Religiosorum familiis nuncupantur, ne-
 quaquam novas esse inventiones de-
 monstrat, probatque, quod Monachi
 non interrupta serie ab ipso D. Antonio
 descendant: ad hoc autem, ut illos an-
 te hujus Sancti tempora jam floruisse o-
 stenderet, præter libros S. Dionysio A-
 reopagitæ adscriptos, nec non Thera-
 peutarum librum a Philone concinna-
 tum non alia profert testimonia, ac po-
 stea refellit ea, quæ hic Anonymus
 contra Vota, ac Professionem Monasti-
 cam attulit.

Præterea ex tribus illis libris, quos
 contra Guilielmum Tindalum compo-
 suit, duo agunt de piarum actionum me-
 rito, postremus vero succinctam comple-
 titur expositionem circa Ecclesiæ Do-
 ctrinam de articulis eo tempore contro-
 versis, ibidemque Ecclesiæ dogmatibus
 Monarchiam summi Pontificis accenset.
 Ceterum in suo de Matrimonio tractatu
 tenet, quod hoc Sacramentum præsup-
 po-

Sæculi. XVI. ponat contractum, proin impedito hoc
A.C. 1544. contractu ipsum etiam Sacramentum
 haud valeat, quam in rem agit de firmitate hujus contractus juxta leges initi, ipsum vero Matrimonium dissolvi haud posse, ex ipso Jure divino eruit, indeque concludit, quod Matrimonium consensu atque corporis usu firmatum ob adulterium discindi non valeat, tradit tamen, quod tunc, si huic consensui non item corporis usus accesserit, per alterutrius conjugis ingressum in Religionem dissolvi queat, eoquod, inquit ipse, Statum Monasticum professus civili morte mortuus sit. Scripsit etiam Latomus tractatum de quatuor quæstionibus, ibidemque egit I. de mortuis, qui vivorum suffragiis adjuvantur. II. De Sanctis, qui pro nobis deprecantur. III. de Christi Domini & Sanctorum imaginibus, quæ colendæ sunt. IV. De eorum ossibus ac reliquiis. In eodem opere haud consultum esse censet, quod sanctissimæ Trinitatis imagines confici permittantur. Denique ejus responsio ad tres quæstiones quodlibeticas, concernit I. Vitam activam & contemplativam, ubi hanc illi præfert. II. Solvit quæstionem, quare justis alimenta defint, cum tamen impii illis abundant. III. Declarat sensum, in quo illa sententia intelligenda sit: *Væ soli,*
quia

quia cum ceciderit, non habet sublevantem Sæcul. XVI.
 se, Eccl. 4. v. 10. Hunc textum La- A.C. 1544.
 tomus triplici modo explicat.

§. XLIX.

*Sententiæ ac censuræ Facultatis
 Theologicæ Parisiensis.*

Hoc item anno Domini millesimo quin- Argent. coll.
 gentesimo quadragesimo quarto die jud. t. 2. app.
 decima sexta Februarii Parisiensis Fa- p. 137.
 cultas Theologica apud PP. Mathuri-
 nos Conventum habuit, ut ea percipe-
 ret, quæ adversus Fratrem Joannem
 Pernocellum ex Ordine Fratrum Mino-
 rum deferebantur. In hac autem Con-
 gregatione, inquit Argentreus, retulit
 Magister Ruffi, quomodo pluribus Sessio-
 nibus agitatae fuerint propositiones, de quibus
 præfatus Præsentatus delatus fuerat Facul-
 tati, tandem certis censuris per dictos Depu-
 tatos notatae; quibus subjunctæ sunt asser-
 tiones cum certa forma subscriptæ, quæ om-
 nia alta & intelligibili voce pronuntiaturus
 est, si id bonum videatur prædictæ sacræ Fa-
 cultati. Post hæc Syndicus dictæ Faculta-
 tis legit propositiones prædictas & assertio-
 nes cum præscripta formula, quibus lectis
 supplicavit prædictus Syndicus, quod dictus
 Pernocellus prædicta omnia exequeretur,
 cum esset reversus, aut si recusaret, priva-
 retur a Facultate. Audito Domino Ceno-
 mani Guardiano Minorum, qui dixit, se
 fe-

Sæc. XVI. A.C. 1544. fecisse copiam dicto Pernocello proficiscendi ad ædem D. Maricæ de Liesse... qui eidem promisit, se reversurum ante diem decimam quintam proxime venturam. Collectis omnium suffragiis propter dicti Pernocelli absentiam distulit dicta Facultas ejusdem negotium usque ad decimam quintam diem proxime venturam, & inordinavit interim, quod dictus Pernocellus nullibi prædicet, & quod transcribantur prædictæ propositiones, & dentur Magistris nostris præcipue adstantibus, ut maturius examinentur prædictæ propositiones & censuræ prædictæ Facultatis, quodque dictus Pernocellus audiatur in dicta Facultate, & si nolit exequi ordinationem Facultatis, arceatur a dicta Facultate.

Postea eadem Facultas censura perstrinxit duas propositiones, quas Frater Joannes Theodoricus anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo primo in Conventu Blesensi enuntiavit. Ex his prima erat sequens: *Sacerdos celebrans Missam, nisi habeat actualem devotionem & attentionem, cum ipsum Sacramentum sumit, dato, quod sit in gratia, Sacramentum nihil ei prodest.*

II. *Sacrificium Missæ non prodest Defunctis, nisi prius habuerint devotionem actualem, & ordinaverint Missas pro se dicti, & celebrari.*

Eodem tempore Facultatis Doctores itidem quasdam damnarunt propositiones

litio-

fitiones, quas Antonius Marchand, seu ^{Sæcul. XVI.} Mercator, ex Ordine Fratrum Prædicatorum Parisiis in Ecclesia ad S. Sepulcrum protulit; nam in primo sermone ita ad populum dicebat: *Incredulitas & Blasphemia peccata sunt irremissibilia, imo Sacerdos nunquam a peccatis absolvit, sed Spiritus sanctus*: In alio autem sermone hæc asseruit: *Beata Virgo æque ac ceteri homines redemptione indiguit (*)*. Denique eadem Facultas proscripsit poema Gallicum, cui Gallice titulus: *Chant Royal baladeau & rondeau (**)*, eoquod in hoc carmine plures propositiones Lutheri sectæ conformes contra liberum arbitrium, pias actiones, aliosque fidei articulos fuerint contentæ.

§. L.

(*) Facultas huic propositioni sequentem amittit censuram: *Hæc propositio innuens Beatissimam Virginem Mariam indiguisse redemptione ereptiva, hæretica est, & injuriam infert eidem Sanctissimæ Virgini Mariæ.*

(**) Nomine *Baladeau* significatur carmen seu quidam rhythmus Gallicus, qui octodenis aut tricenis senis versibus in geminos duntaxat rhythmos exeuntibus est compositus, qui vulgo *Balada* vocatur: Vox vero *Rondeau* aliud genus Gallicæ odes indicat, quæ appellari potest rhythmus reciprocus vel confectarius.

Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. R

Sæcul. XVI.

A. C. 1544.

§. L.

Index librorum a Facultate Parisiensi proscriptorum.

Argentre l.c. Die secunda Maji eadem Facultas ad Hieronymum Seripandum Fratrum Ordinis S. Augustini supremum Ministrum literas dedit, in quibus ex ejus Religiosis quosdam de Protestantium erroribus suspectos esse nuntiabat: cum autem Hieronymus nullum ad hasce literas daret responsum, Facultas mense Augusto rursus ad eum hac de re scripsit, tandemque responsum obtinuit. Postea die vigesima tertia & vigesima nona Maji, nec non decima quinta Julii eadem Facultas præcepit, ut Catalogus instrueretur, qui sexaginta quinque libros ordine alphabethico recensitos unacum eorum Auctoribus complecteretur. Prodiit hic Catalogus die decima tertia Augusti, ac paulo post eodem anno secunda illius editio plurimis aliis libris a Facultate proscriptis aucta fuit. Hæc additio subjungebatur epistolæ præliminari *sub correctione sanctæ Matris Ecclesiæ, ac sanctæ Sedis Apostolicæ.*

Porro inter hosce libros reperiuntur Georgius Æmilius, Althamerus, Cornelius Agrippa, Artopæus, Schofferus, Biblia Roberti Stephani, Bren-
tius

tius, Bibliander, Bedion, Bucerus, Sæcul. XVI, Bullinger, Calvinus, Cardanus, Ca-
A. C. 1544,
 stallion, Doletus, Erasmus Roterodamus, Faber Stapulensis, Ferius, GUILLODUS, Gesnerus, Lorichius, Justus Jonas, Lambertus, Martinus Lutherus, Joannes Mayer, Melancton, Sebastianus Munsterus, Petrus Martyr, Conradus Pellicanus, Urbanus Rhegius, Joannes Bugenhagius, Sarcerius, Spangenbergius, Ulricus Zwinglius, aliique. Pariter ibidem proscriptum legitur opusculum Polydori Virgillii *de Inventoribus rerum* in tres libros divisum, ac primo Parisiis apud Robertum Stephanum anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo octavo, postea vero Basileæ anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo excusum.

Adjectus est postea alius index eorum librorum, quorum Auctores sunt incerti, hos inter refertur præter alios I. *Alcoranus Franciscanus de stigmatifato idolo, quod Franciscum vocant*, II. quoddam *Diurnale Romanum Lugduni impressum apud Theobaldum Paganum*. Denique subjungitur Catalogus librorum, qui Gallice conscripti itidem juxta alphabeticum ordinem enarrantur præter ceteros omnes libros, qui ab anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto usque ad annum Domini millesimum

Sæcul. XVI A.C. 1544. quingentesimum quinquagesimum quin-
tum prodierunt: Unde ibidem recense-
tur Joannis Calvini Commentarius in
epistolam ad Titum, qui Genevæ a Jo-
anne Girardo circa annum Incarnatio-
nis dominicæ millesimum quingentesi-
mum quinquagesimum publicam lucem
aspexit. Tandem etiam præter opera
Bernardini Ochini censura notatur li-
ber, cui titulus: *Obitus Martini Lutheri*,
editus anno reparatæ salutis millesimo
quingentesimo quadragesimo sexto.

§. LI.

*Quorundam librorum typis edito-
rum censuræ.*

Argent. l. c. *t. I. app p. 13.* *§ 14.* Die vigesima septima Maji eadem Fa-
cultas, audita relatione quorum-
dam Doctorum, qui nonnullos libros di-
scusserant, necessarium censuit, ut libro-
rum proscriptorum indici inferatur opus,
cui titulus: *Speculum Religionis*, ab Ab-
bate S. Victoris Lutetiæ Parisiorum elu-
cubratum: cum vero hanc sententiam
exequi aliquamdiu differret, die decima
quinta Julii Claudius Berthaut Theolo-
giæ Doctor supplicavit, quatenus ea-
dem Facultas illius executionem ad-
hucdum differre vellet usque ad unde-
cimam mensis proximi diem, eoquod
præfatus Abbas hujus libri Auctor opus
suum emendare, atque ab erroribus, qui
in

in eo notabantur, purgare vellet. An-
 nuit Facultas, concessitque inducias An-Sæcul. XVI.
A.C. 1544.
 usque ad octavam mensis Augusti diem,
 ea tamen lege, ut correctione facta Fa-
 cultati tamen integrum sit, populi offen-
 sionem forte ex hoc libro natam repara-
 re, ac decidere, num sit, vel non sit
 præfatus liber Catalogo inserendus?
 Hoc fuit Decani iudicium, cui ceteri
 quoque Doctores acquieverunt: Cum
 autem quidam Carmelita, nomine Ju-
 lianus Guingotus alium librum sub titu-
 lo: *Eminentia animæ peccatricis* vulgasset,
 atque in eo non minus, quam in suis ser-
 monibus & prælectionibus erroneas
 quasdam propositiones sparsisset, hinc
 Facultas eundem compulit, ut alta ac
 clara voce opiniones suas revocaret, &
 palinodiam chirographo suo firmaret:
 quod etiam ipse se facturum promisit.
 Hæc acta fuere die tertia mensis Julii
 hoc anno Domini millesimo quingente-
 simo quadragesimo quarto.

§. LII.

*Thomæ de Vio Cardinalis Commem-
 tarii in novum Testamentum cen-
 sura notati.*

Mense Augusto inter Facultatis Do-
 ctores quædam exorta est conten-
 tio, cui ansam dedere Cajetani Cardi-
Argent. Coll.
jud. app. t. 2.
p. 141.

R 3

na-

Sæcul. XVI.
A.C. 1544.

nalis Commentarii in novum Testamen-
tum; querebatur enim illa, utrum hic
liber reprobatorum operum Catalogo
inferendus sit? Enimvero Fratres Præ-
dicatores nihil non agebant, ut ejusmo-
di ausus præpedirent, verum illis ne-
quicquam obluçantibus liber die nona
Augusti sequenti censura notabatur:
*In hisce Commentariis multos novi Testa-
menti locos contra receptissimum Ecclesie u-
niversæ & SS. Patrum intellectum perpe-
ram interpretatur Doctor Cajetanus, in du-
bium interim revocans multa, quæ sunt in E-
vangelio & Epistolis scripta, an sint videli-
cet authentica & solidæ authoritatis. Ad
hæc errores varii & lapsus, dogmata falsa
& impia, imo & quædam hæretica, & a
fide aliena in iis continentur. Ceterum mul-
ta sunt nova & absurda in iisdem commen-
tariis, quæ Lectoris animum in varios er-
rores inducere possunt: quare ii commen-
tarii aut ab erroribus repurgandi sunt, &
obelo configendi, aut supprimendi. Atque
ut horum ex multis demonstratio fiat.*

I. In Proæmio in Matth. 1. & 27. con-
stanter asseverat contra communem Ecclesie
receptionem, Matthæum non Hebraice, sed
Græce scripsisse Evangelium. Idem affir-
mat ad Hebr. 1.

II. Matth. 19. hæretice dicit, licitum
esse Christiano Viro ob carnalem fornicatio-
nem dimittere uxorem, & posse aliam duce-
re.

re. *Ibidem* dicit, quod non liceat tamen uxori dimittere virum fornicantem. *Idem* videtur innuere Rom. 7. Sæcul. XVI.
A. C. 1544.

III. *Idem* confirmat 1. ad Cor. 7., ubi tamen Paulus utriusque tam viri, quam uxoris, quibus ad hoc conditionem facit æqualem.

IV. Matth. 27. super illo verbo consecrandi Corpus Christi, hoc est Corpus meum, præter omnes alios nititur persuadere nomen (hoc) non demonstrare panem materiale, nec Corpus Christi, sed hanc substantiam novam sine qualitate, multa innuens, quibus potest falli Lector.

V. Marci 6. videtur cum nostri temporis hæreticis Lutheranis conspirare in hoc: dicit nullum de colore, quantitate aut figura vestium, nullum de barba, aut capillis universaliter, nullum de hujuscemodi indifferentibus corporeis præceptum inveniri a Jesu datum, sicut nec differentia cibi & potus, cum, inquit, ab universa Evangelica doctrina, sollicitudo sive cura circa figuram calceorum, vestis ac cujuscunque operimenti excludatur, & in hoc tacite Religiosorum habitus taxavit, cum & Christus Marc. 11. nominatim habitum Joannis, & cibum diversum descripsit, & laudavit. Falsum primum, quod discrepat Evangelio hæc habituum diversitas.

VI. Marci 9. dicit, ignem damnatorum non esse naturalem, sed metaphoricum,

R 4

sicut

Sæcul. XVI. sicut & vermem. Vermis, inquit, appellatur intrinseca pœna sensus, velut corrodens interius morsus; ignis exterior, pœna tam vehemens, quam ignis nos cruciat. Quod falsum & erroneum est.

VII. Luc. I. Illud Angelicum ad Virginem elogium: Benedicta tu in mulieribus, id est, inter mulieres, pronuntiat temere contra omnem Ecclesiæ receptionem & intelligentiam, hoc ab Angelo imprecatione dictum esse, quasi diceret, sis benedicta tu inter mulieres. Cum assertorie dictum sit & vere, nam inter mulieres erat benedicta a prima suæ conceptionis origine. Nam jam illud Gen. 3. prædictum, ipsa conteret caput tuum, fuerat impletum.

VIII. Joan. 6. contra communem Doctorum & Ecclesiæ sensum illud de manducatione Corporis Christi tandem post multa intricata, quæ asserit, resolvit his verbis: Clare igitur apparet, quod non est ad litteram sermo de manducare & bibere Sacramentum Eucharistiæ, in quo dat ansam Sacramentariis.

IX. Joan. 8. magno ausu pronuntiat historiam adulteræ non esse authenticam. Rationem subjungit, quoniam, inquit, non constat ipsam esse partem Evangelii.

X. Joan. 21. super: Pasce oves meas, dicit, quod soli prædestinati explicantur pascendi & regendi a Petro, quamvis omnium Christianorum cura intelligatur Petro commissa.

missa. Quod plane hæreticum est, cum om- Sæc. XVI.
nium Christianorum cura, ut ait, commissa A.C. 1544.

Petro: sit autem officium curæ instituti pasce-
re oves Christi, sequitur, quod cura pa-
scendi omnium illi commissa est, & per hoc
explicata. Nam nullam ovem a pastura &
regimine Petri exceptit.

XI. Ad 2. Impie & falso asserit, ani-
mam Christi a corpore separatam sustulisse,
sive passam fuisse pœnalitates, & id explicat
1. Quod esse animam a corpore separatam
quædam sit pœnalitas. 2. Locus inferni
quædam pœnalitas est. Quod secundum
manifeste falsum est & impium existimare.

XII. Prioris ad Cor. 14. Contra com-
munem Ecclesiæ ritum hædenus receptum ex
Pauli doctrina concludit, quod melius ad Ec-
clesiæ ædificationem est, orationes publicas,
quæ audiente populo audiuntur, dici lingua
communi a Clericis & populo, quam La-
tina.

XIII. Prioris ad Timoth. 3. affirmat,
nullibi Scripturæ sacræ prohibitum, plures
habere uxores. Quod est erroneum & hæ-
reticum. Cap. 10. ad Hebr. falso & er-
ronee pronuntiat, epistolam ad Hebræos du-
biam esse, nec Canonicam, ac ex ejus epistolæ
auctoritate nihil posse determinari, si quod
dubium in fide accideret.

XIV. Adde Hebr. 9. Super illo loco,
in quo urna aurea habens manna, & Vir-
gam Aaron, quæ fronderat, & tabulas

Sæcul. XVI. Testamenti, sic ait: Horum trium, quæ
A.C. 1544. dicit esse in arca, ultimum tantum authori-
 tas Scripturæ habet, & ita habetur, quod
 excludantur reliqua duo. Unde ille textus,
 ut sonat, manifeste contradicit sacræ Scri-
 pturæ. Illis verbis suo more confirmat, quod
 prius dixerat, hanc Epistolam non esse au-
 thoritatis sacræ Scripturæ, quæ tamen
 haud dubie est. At hæretice & falso dicit,
 locum Scripturæ sacræ contradicere alteri:
 ad hæc quod subjungit: Inibi forte autho-
 rem ejus epistolæ fesellit intelligentia Scri-
 pturæ, impium & blasphemum est asserere:
 nam author hujus epistolæ est S. Paulus, qui
 a Spiritu sancto loquebatur, qui nec falli, nec
 fallere potest.

XV. Appendix ad postremum articulum
 ex 2. Reg. cap. 8. in arca autem non erat
 aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posue-
 rat in ea Moyses in Oreb. Sub quo Rhaba-
 nus: erat in arca urna aurea habens manna,
 erat Virga Aaron, erant & tabulæ Testa-
 menti. De Lyra ibidem: solæ tabulæ erant
 principaliter in arca, virga & manna mi-
 nus principaliter. Augustinus in 9. cap. ad
 Hebræos: in arca jussa est poni Lex &
 manna & Virga Aaron, quæ fronderat
 secundum quod habetur Num. 17. & Tabu-
 læ Testamenti.

Præter hosce alii adhuc plures libri
 a Facultate fuere censura notati, ac die
 duodecima Augusti eadem in mandatis de-

dedit, ut præfatus Cajetani Commen-
tarius unacum Fabri & Erasmi libris
Catalogo operum damnatorum infere-
retur (*).

Sæcul. XVI.
A.C. 1544.

Die

(*) Cum Continuator ægerrime ferret præ-
dilecti Erasmi sui libros sæpius a Facultate Pa-
risiensi fuisse damnatos, hinc doloris sui lenimen
in eo quæsit, quod Lectoribus suis falso persua-
deret, etiam quædam Cajetani opera unacum Era-
smi libris fuisse proscripita, cum tamen ejus com-
mentarii nunquam a Facultate fuerint Catalogo
inerti, sed unice hic liber Deputatis anno 1546.
fuerit traditus, ut ipsi desuper judicium suum
ferrent: percipiamus verba ipsius Caroli du
Plessis d'Argentre, quem ipse Continuator alle-
gat, hic l. c. fol. 143. & t. I. append. fol. 14. ita
habet: *Anno 1544. die 12. mensis Augusti &c.
audita singulorum Magistrorum nostrorum sen-
tentia ordinavit supradicta Facultas Catalogum
in lucem emittendum, cui inscriberentur libri
Fabri & Erasmi censuris supradictæ Faculta-
tis notati. Orta erat controversia de Cajeta-
no in novum Testamentum, an adderetur dicto
Catalogo. Judicio multorum veniebant libri
dicti Cajetani in novum Testamentum inserendi
dicto Catalogo. Negotium remissum in Con-
gregationem die proxima sequenti celebrandam,
ad determinandum, si libri Cajetani in novum
Testamentum adderentur dicto Catalogo libro-*
rum

Sæcul. XVI. Die quarta Novembris Conventu ha-
A. C. 1544. bito prælecta fuit quædam propositio,
 quæ ex quodam Platonis opusculo per
 Doletum Gallice reddito excerpta his
 verbis erat concepta: *Post mortem tuam,
 o homo, omnino nihil eris.* Hæc propo-
 sitio non modo hæretica, sed etiam Sa-
 ducæorum & Epicureorum opinioni fa-
 vere Facultati videbatur. Ceterum po-
 stea deprehensum fuit, quod Doletus
 hunc locum perperam corruperit, eaque
 verba, *omnino nihil*, nec in Græco, nec
 Latino textu expressa legantur.

§. LIII.

*rum propositorum. Audita supplicatione Ma-
 gistrorum nostrorum Dominicanorum, qua sup-
 plicaverunt suprascriptæ Facultati, ut præfige-
 retur eis aliquot tempus, infra quod colligerent
 errata ipsius Cajetani in novum Testamentum,
 quæ mitterentur ad dictum Cajetanum cum cen-
 suris & qualificationibus. Post omnium Magi-
 strorum nostrorum maturam deliberationem,
 præfixit eadem Facultas eisdem Dominicanis
 mensem pro omni termino, infra quem habeant
 colligere eadem errata & præsentare dictæ Fa-
 cultati, quæ quidem Facultas postea judicabit,
 si omnia errata fuerint collecta. Anno 1544.
 prima Februarii habetur in conclusione Facul-
 tatis approbatio operis Ambrosii Catharini ad-
 versus Cardinalis Cajetani quædam dogmata.
 Anno Romæ 1544. Decano concludere recu-
 sante*

§. LIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1544.*Cleri Coloniensis legatio ad suum
Archiepiscopum.*

Hoc anno in Anglia Viacomienſis Episcopus librum gravibus admodum verbis conceptum contra Bucerum edit, atque in eo præter alios articulos Sacerdotum Cœlibatum propugnavit: ex adverſo Coloniensis Archiepiſcopus nil inauſum reliquit, ut in suum Electoratum Lutheri sectam induceret, eo

Sleid. l. 16.

p. 525.

Cochl. anno

1545. p. 312.

dun-

sante S. M. N. Rufi in Ordine antiquior, pro Decano sedens ad ejus recusationem ex pluralitate concludit. Anno Domini 1546. die 5. Januarii de libro Domini Cajetani dictum est auditis S. M. N. Priore Domus Prædicatorum, Et M. N. Petro de Aurato, tenente libellum quemdam, quem dicebat ipsius Cajetani de revocatione erratorum suorum, quod ille liber reponeretur intra manus Dominorum Deputatorum, qui haberent referri Facultati, quæ invenirent in dicto libello, Et postmodum disponet Facultas. Anno 1546. die 20. Januarii in materia Domini Cajetani, audita supplicatione D. Prioris Fratrum Prædicatorum, qui supplicavit, quod visitetur D. Cajetani declaratio adjecta suo Commentario, Facultas ordinavit dictam declarationem visitandam per Dominos Deputatos, qui referrent eidem Facultati.

Sæcul. XVI. duntaxat fine, ut nuptias inire posset,
 A.C. 1544. prout etiam progressu temporis fecit.
 Jam supra memoravimus, quod Colo-
 niensis Clerus unacum Universitate sese
 sacrilegis ejusdem ausibus vehementer
 opposuerit, omnemque lapidem move-
 rit, ut hæresin in hanc Diœcesin intro-
 duci prohiberet: hanc in rem Clerici,
 nec non Universitatis Doctores hoc an-
 no ad Archiepiscopum literas dederunt,
 simulque missis ad eum Oratoribus duo
 ab illo petierunt. I. Ut a perverso suo
 instituto desisteret, nec ullos in Ecclesia
 tumultus suscitaret, sed potius Synodi
 Decretum præstolaretur. II. Quanto-
 cius novæ sectæ Præcones ejiceret.
 Verum Archiepiscopus insuperhabita
 Clericorum petitione, ad pejora pro-
 gressus est, unde ingentes toti Provin-
 ciæ calamitates impendebant: Itaque
 hujus Diœcesis Ecclesiastici rursus eun-
 dem per quicquid sanctum, sacrumque
 rogant, atque obtestantur, ut officii
 sui fideique, qua se Ecclesiæ Colonien-
 si, Papæ & Cæsari obstrinxerat, haud
 immemor hosce Pseudo-Præcones re-
 moveret, totumque negotium ad proxi-
 mi Concilii decisionem remitteret: si
 vero secus fecerit, palam profitebantur
 Clerici, quod superioris Magistratus au-
 xilium implorare, cunctaque adhibere
 vellent remedia, quibus tam conscien-
 tiæ

tix suæ consulere, quam iram Dei pro-
cul a se avertere possent: demum ex-
ponebant, quod inviti quidem ad hæc
extrema descendant, hæc tamen consi-
lia, si ipse in perverso hoc proposito
contumax persistere velit, arripere co-
gantur. Verum omnes eorum preces
& monita in irritum cecidere; unde illi
Capitulum, ac præcipuos ex Clero ad Ec-
clesiam Cathedralē die nona Octobris
congregare compellebantur.

§. LIV.

*Cleri Colonienſis Conventus adverſus
Archiepiſcopum.*

Omnibus una congregatis cuncta, quæ *Sleid. l. c.*
hucusque viginti tribus abhinc an-
nis adverſus hæreſin geſſerant, publice
prælegi juſſerunt, ac præter alia præci-
pue Wormatiēſe edictum, quo Luthe-
rus ex conſenſu Cæſaris, omniumque
Principum fuit damnatus, atque Impe-
rio proſcriptus: poſtea recitabantur edi-
cta Auguſtæ, Ratiſbonæ, ac noviffime
Spiræ contra eundem hæreſiarcham
promulgata.

§. LV.

*Cleri appellatio ad Papam & Cæ-
ſarem contra eundem.*

His omnibus neglectis, proſequebantur
Clerici, *Hermanus novam iniiit ratio-
nem,*

Sæcul. XVI.
A.C. 1544.

Sæcul. XVI. *nem, atque evocavit Bucerum, hominem*
A.C. 1544. *Monasticæ professionis desertorem, & bis in-*
cestis nuptiis pollutum, & doctrinæ sacra-
mentariæ defensorem, eique munus Ecclesia-
sticum demandavit, & novos instituit passim
populi Doctores, homines profligatos, at-
que perditos: illis etiam authoribus conscri-
pta est reformationis formula, ex mandato
Principis edita: reclamavimus quidem his
omnibus vehementer, & Archiepiscopum, ut
Concilii tempus exspectaret, aut saltem ad
Imperii Conventum usque differret, sæpe
quidem, sed frustra tamen oravimus: cum
autem sit lamentabilis Provinciæ status, &
ad summam perturbationem omnia spectent,
nec ille sese flecti patiatur, necessario confu-
gimus ad extremum remedium, & provoca-
mus ad Pontificem maximum, & ad Cæsa-
rem, Ecclesiæ Dei summum Advocatum &
Protectorem, eorumque tutelæ nos nostra-
que omnia committimus.

Hic erat exitus Coloniensis Con-
 ventus, cui Georgius Brunsvicensis
 Henrici frater, utpote Cathedralis Ca-
 pituli Præpositus præerat.

§. LVI.

*Archiepiscopi responsum ad Capituli
 sui appellationem.*

Archiepiscopus comperta Capituli sui
 sententia edito libello hunc in mo-
 dum

dum respondit: *Nulla est causa appellationis; nihil enim feci præter officium meum, itaque rejicio provocationem, atque spem habeo, futurum, ut ab incæpto illi desistant: sin autem, progressurus sum nihilominus in iis, quæ ad gloriam Dei, & ad Ecclesiarum emendationem pertinent. Alio deinde scripto criminationes eorum refutare nitentur: Neque cum Luthero, agebat, neque cum Bucero mihi quicquam est negotii privati, sed eorum doctrinam, quæ sacris Literis consentit, habeo pro vere Apostolica, & plane digna doctrina, quam omnes recipiant: damnatus quidem est Lutherus ab Ecclesia Romana, sed indicta causa, violenter & tyrannice: de edicto Wormatiensi, quo Lutherum fuisse condemnatum dicunt, nihil unquam mihi fuit compertum prius, quam hoc edictum in vulgus exisset typis excusum: quod ergo de consensu Principum esse factum affirmant, ad me minime pertinet, cum mihi nihil unquam ejus rei fuerit communicatum: Decretum Augustanum de Religione factum mihi nunquam placuit, cumque nonnulli Principes multa Cæsari tum pollicerentur, & pro Religione Pontificia tuenda fortunas omnes deferrent, mandavi tum meis Consiliariis, ne quid ejusmodi promitterent, imo, ut claris verbis contra testificarentur: illi autem non hoc fecerunt, quod habebant in mandatis, & reticentiæ causa nonnullis est nota, qui nunc inter adversarios*

Hist. Eccl. Tom. XXXVIII. S pri-

Sæcul. XVI.
A. C. 1544.

Sæcul. XVI. A.C. 1544. *primum locum obtinent: quod cum ita sit edito illo minime obligor, atque licet devotus aliquando fuerim, agnita tamen veritate non amplius teneor; nullum enim pactum aut jusjurandum, quo Dei violatur honor, vim ullam habet: Ratisbonensi autem Decreto mihi, & quibusvis aliis Episcopis non modo permissum, sed injunctum etiam est munus emendationis Ecclesiasticæ: quod Bucerum ad hoc opus accersiverim, factum est cum primis impulsu Gropperi, qui mihi vehementer illum prædicavit & coram & per literas, ut doceri possit: ego quidem in Bucero nihil deprehendi, quod sit alienum vel indignum viro bono: permagni etiam est momenti, quod Ratisbonensi colloquio Cæsar illum ut hominem pium, doctum, & pacis amantem adhibuit: idem meum est judicium de ceteris etiam Ecclesiæ Ministris a me constitutis.*

Accepto hoc Archiepiscopi responso Clerus Coloniensis rursus ad diem decimam octavam Novembris conventum agere, ac reliquos Ordines convocare cogebatur, ut & illi appellationi subscriberent, nec minus idem etiam a ceteris universæ Provinciæ Ecclesiis, atque Universitatibus magis remotis exigebatur, exauctorationis pœna omnibus indicta, qui morem gerere recusarent (*).

§. LVII.

(*) Nec hic stetit Coloniensium religio: quippe

§. LVII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1544.*Errores Davidis Georgii de Frisia.*

Equidem in Frisia quidam nomine David Georgius errores spargere cœpit, ast iidem prompte repressi fuere. Erat is ex Delphis Hollandiæ oppido natus, cetera Laicus, Histrionis filius, ac vitrum pingendi arte præditus. Hic jam anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo quinto sua deliria propalare cœperat, ac præprimis affirmabat, quod ordine tertius esset David Dei nepos, non quidem ex carne, sed ex spiritu natus: cum autem cœlum, ut somniabat ille, prorsus vacuum esset, se divinitus missum ajebat, ut filios, dignosque

Cochl. l. c. ad ann. 1545. p. 210. Sur. comm. ann. 1543.

S 2

que

quippe Doctores editis etiam libris fidei dogmata strenue propugnarunt, ut testatur Cochlæus ad annum 1545. his verbis: *Colonienses quoque strenue contra sui Archiepiscopi novam & impiam reformationem, & publicis actionibus institerunt, & editis libris sana Ecclesiæ dogmata omni probationum genere confirmarunt, inter quos sane insigniter emicuit defensio iudicii Universitatis & Cleri Coloniensis contra Melancthonis, Bucerii & Oldendorpii calumnias, & R. Patre Everhardo Billick Carmelita, sacrae Theologiæ Doctore, & Provinciali Germaniæ inferioris, edita.*

Sæcul. XVI. que æterni hujus Regni hæredes ad-
A.C. 1544. ptaret, simulque populum Israel non qui-
dem per mortem, uti Christus, sed po-
tius per gratiam redimeret. Porro Sa-
duccæorum errores innovans, vitam æ-
ternam, mortuorum resurrectionem, ex-
tremumque judicii diem pernegabat:
cum Adamitis vero Matrimonium dam-
navit, uxoresque omnibus communes
esse voluit, nec non Manichæos secutus
animam peccato inquinari haud posse,
solamque carnem, nullatenus vero spi-
ritum peccare ajebat. Insuper infide-
lium animas salutem consequi, Aposto-
lorum vero spiritus damnari asserbat,
atque eum proclamabat insanum, qui
crederet, quod Christum coram homi-
nibus negare peccatum sit, unde sanctos
Martyres velut insanos traducebat, eo-
quod tormenta, mortemque propter
Christi confessionem subierint: cum ve-
ro Catholici arma hujus erroris Secta-
toribus inferrent, Georgius ex Belgio,
ubi tum agebat, in Frisiam aufugere
compellebatur, ubi perniciofa dogmata
sua identidem disseminavit, atque An-
gelos, Dæmones, Baptismum, Matri-
monium, sacras Literas, vitamque æ-
ternam impugnans, opiniones ac dog-
mata, quibus magis stolidi ac horrenda
vix excogitari possunt, in vulgus sparfit.

Cæsar itaque, inquit Cochlæus, *ubi hæc accepit, confestim magna edictorum se-
veritate usus, gladio & igne in hujusmodi hæ-
reticos animadvertit, atque acerrima inquisi-
tione tam nefandam sectam extirpavit: Ut
vero contra omnes novarum hæresum errores
& blasphemias certos fidei & doctrinæ Catho-
licæ articulos ejus subditi haberent, commisit id
negotii suis Theologis Lovaniensibus.* Unde
occasione ex Georgii erroribus nata il-
los triginta duos sanæ doctrinæ articulos
fuisse propositos manifestum fuit, prout
supra §. XLI. memoravimus. Ceterum
Georgius, ut Cæsarei edicti severitatem
effugeret, die prima Aprilis anno Salva-
toris millesimo quingentesimo quadra-
gesimo quarto unacum quibusdam fo-
ciis suis Basileam se contulit, mutato-
que nomine Joannes Bruckius appella-
ri voluit: Ibidem vero explorata ci-
vium indole ac propensione graviter
querebatur de calamitatibus, quas pro-
pter Evangelium, prout mentiebatur
ipse, perpeti cogeretur, unde Senato-
ribus libellum supplicem porrigebat, ro-
gans, quatenus ei utpote Viro propter
Christum calamitatibus oppresso, ac in-
super prole admodum numerosa prægra-
vato in sua urbe tutum asylum indul-
gere vellent. Hi ejus precibus acquie-
scentes, eidem Basileæ commorandi fa-
cultatem impertiti sunt, quapropter

Sæcul. XVI.
A.C. 1544.

Sæc. XVI. Georgius ibidem perstitit usque ad obitum suum, qui contigit anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto.

A.C 1544.

§. LVIII.

Clementis Maroti mors.

San-Marth. l. 10. elog. Doct. Vir. Du Verdier Vauvovias Biblioth. Franc p. 718. Vie de Clem. Marot dans le recueil des Poetes Francois t. 1. Cecidit hoc anno præcipuum Calvinianæ hæresis fulcrum; obiit enim Clemens Marotus Taurini in Pedemontio non nisi quinquaginta circiter annos natus. Is e Carducorum Metropoli, quam Divonam appellant, oriundus filius erat Joannis Maroti Poetæ, qui Francisco I. a cubiculis fuit. Ad eandem muneris dignitatem etiam Clemens anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo a Margarita Francisci I. Regis Sorore atque Alenfonii Ducis uxore assumebatur, anno autem sequenti ipsum Ducem Alenfonium comitatus in Papiensi prælio vulneratus, captusque fuit. Eo demum tempore, quo Franciscus I. Galliarum Rex itidem captivus in Hispaniis detinebatur, Clemens a Bouchardo Doctore de Protestantium hæresi accusatus in carcerem abductus fuerat, inde vero, qua ratione libertatem suam prima hac vice recuperaverit, silent Historici, conjicimus tamen, quod is forte innocentia sua tutus evaserit, cum ipse in quadam epistola ad Bouchardum data testatur, quod nec Lutheri,

ri, nec Zwinglii, nec Anabaptistarum veneno infectus Orthodoxam ac Catholicam fidem sincero animo profiteatur. Sæcul. XVI.
A.C. 1544.

Biennio post, scilicet anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigesimo septimo supremum rei tributariæ tribunal sententiam pronuntiabat, vi cuius Clemens rursus custodiæ dari jubebatur: non equidem tum eidem lis ob hæresin intentabatur, sed præcipue in crimen vocabatur, eo quod cuidam captivo jamjam a satellitibus custodito fugæ opportunitatem procuraverit. Marotus ex suo carcere ad Franciscum I., qui tunc ex Hispaniis redierat, literas dabat, ejusque preces auribus adeo benevolis excipiebantur, ut ipsemet Rex Clementi Maroto libertatem reddere, datis literis præfatum tribunal juberet. Franciscus Rex hanc epistolam, qua Clementem liberum dimitti præcepit, Parisiis die prima Novembris anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo dabat: cum autem Clemens Blesis commorans paulo post intelligeret, quod Judices in eum tanquam de fide suspectum inquirerent, ejusque libros abripi juberent, ad Alençonii Ducissam, quæ nuptiis cum Joanne Albreto initis Navarræ Regina salutabatur, profugit, cum vero nequidem apud eandem satis se tutum cerneret, in Italiam

Sæc. XVI.
A.C. 1544.

profectus est, & aliquamdiu substitit in aula Renatæ de Francia, quæ Ferrariæ Ducissa eo tempore novæ reformationis plurimum favēbat: Porro Clemens anno Servatoris nostri millesimo quingentesimo trigesimo sexto a Francisco Galliciarum Rege Parisios redeundi facultatem obtinuit: ast suspiciones de hæretica ejusdem doctrina conceptæ tam vehementer invalescebant, ut rursus evolutis aliquot annis Genevam fugere compelleretur, inde vero in Pedemontium denuo se contulit, ibidem vitæ suæ finem præstolaturus.

Eo autem tempore, quo Parisiis ultima vice agebat, venam poeticam ad Davidis psalterium in Gallicam linguam vertendum impendere cœpit.

§. LIX.

Quidam Davidis Psalmi a Maroto in Gallicos rhythmos redacti.

Beza in icon.
Et hist. Eccl.
lib. I.

Cum Marotus Hebraici idiomatis ignarus, ac insuper Latini sermonis peritia non nisi leviter tinctus esset, hinc rumor volabat, quod Gallicas Psalmorum versiones ab ejus amicis concinnatas fideli nimium calamo transcripserit. Referunt nonnulli, quod Melinus de S. Gelasio, alii vero, quod Franciscus Vatablus Maroto præluserit, atque id quo-

quoque vero magis simile est; nam ^{Sæcul. XVI.} quod Vatablus Marotum ad Davidis ^{A.C. 1544.} Psalterium in Gallicos rhythmos vertendum hortatus fuerit, extra omne dubium est, sicut nec minus certum habetur, quod Marotus Poeta Vatabli consilium secutus præprimis triginta Psalmos Gallicis versibus scriptos vulgaverit, suamque versionem Francisco I. nuncupaverit, qui mira inde voluptate affectus reliquam quoque Psalterii partem oratione juxta numeros versa edi peroptabat: verum Theologica Facultas Parisiensis de hujus Poetæ licentia, atque ipsius operis erroribus graviter apud Regem querebatur, quapropter Marotus denuo comprehendi veritus paulo post Genevam aufugit, ubi majori libertate potitus versionem suam editis quinquaginta Psalmis prosecutus est: Theodorus vero Beza additis centum reliquis Psalmis totum opus absolvit, quod tanto cum applausu excipiebatur, ut non modo Lutheri fautores, sed ipsi etiam Catholici hosce Psalmos non sine animi voluptate decantarent, illisque cuncti modulationem, quam quisque pro suo genio voluit, aptarent, potissimi vero ad consuetos trivialis cujusdam carminis, quod tum passim usurpabatur, numeros illos adaptarent (*). S5 Ce-

(*) Hanc in rem Floremundus Remundus
haud

Sæcul. XVI. Ceterum Marotus Vir erat jucun-
A.C. 1544. dus, facetus ac lepidus, nec non pri-
 mævo naturæ beneficio tanta carmina
 fundendi facilitate præditus, ut quodli-
 bet argumentum optimis versibus ex-
 primeret: ast poetica illius vena parum
 casta fuit, ejusque carmina potissimam
 par-

haud inepte hæc observat: Galliarum Rex
 tandem, ne quid in hoc genere amplius ali-
 quid a Maroto scriptum publicaretur, edixit.
 Sed verum est profecto, quod vulgo dici so-
 let: nitimur in vetitum semper, cupimusque
 negata, nam Et tunc Maroti versio tantis stu-
 diis expeti cæpit, ut Typographi exemplari-
 bus imprimendis vix sufficerent. Nec in mu-
 sicos tantum numeros (qui hodieque etiam u-
 surpantur) verum etiam quam quisque vellet
 modulationem redacti psalmi illi passim can-
 tillabantur. Adeoque in aula etiam Rex, Re-
 gina, Et alii velut proprium aliquem sibi quisque
 eligebat, Et ad profanas res studia sua ac
 vota accommodabat. Beza Maroto succentu-
 riatu, ita in eo labore versatus est, ut psal-
 mi ab ipso versi ab omnibus magno plausu,
 etiam a Catholicis excepti sint: ut qui fac-
 les essent, Et modulis insuper ad instrumenta-
 lem, quam vocant, musicam accommodatis,
 quocirca statim ab ipso Beza præstantissimi
 aliquot Musici, Et inter alios Gaudemeli qui-
 dam nomine, prece ac pretio conducti, harmo-
 nias

partem obscœnitatibus scatent, quod Sæcul. XVI.
A.C. 1544.
non minus ævi sui licentiæ, quam propriæ morum pravitati adscribendum venit, nec minus Marotus erat ingenio promptus, ac nativo sermonis lepore adeo insignis, ut vix ei similem reperire fuerit (*).

§. LX.

nias non inconcinneas eis addiderunt, summa cum modulorum tum suavitate tum varietate, a quo tamen velut aurium lenocinio Catholica Ecclesia semper abhorruit. Novum hoc Psalterium tanto studio etiam a Catholicis expetebatur, ut decem millia exemplarium momento distracta fuerint. Postquam vero in Calvinistarum coetibus cani, et cum Catechismis conjungi cœperunt, eorum usus Catholicis interdictus est: siquidem, ut Concilium Laodicœnum vult, cum hæreticis nihil commune esse debet, quod ab ipsis inventum scilicet et concinnatum est.

(*) De perversa Maroti indole Floremundus loc. cit. ita scribit: Quamvis in sacro hoc studio multum versaretur, mores tamen mutare non poterat: cum enim in prava schola educatus esset, Ecclesiasticæ censuræ ac disciplinæ vitam suam subicere non potuit, uti loquitur *Ecclesiastica Calvinistarum Historia volens dicere, quod Marotus hospitam suam corrumpit. Silentio etiam præterit Beza, bonum hunc Poetam ob præclara illa, credo, in Ecclesiam merrita, Genuæ flagris cæsum fuisse.*

Sæcul. XVI.

A. C. 1544.

§. LX.

Petrus Brullius Tornaci extremo supplicio affectus.

Slaid. l. 16. p. 527.

Sur. com. ad hunc annum.

Spond. ibid. n. 18.

Interea hæresis in ipsum etiam Belgium sese diffundere cœperat, pluresque ad amplectendam novam reformationem satis propensi videbantur, quin imo non sine animi jubilo hæresi nomen dedissent, nisi Cæsareis edictis fuissent cohibiti, quidam tamen nomine Petrus Brullius, natione Gallus ac Sacramentarium Minister jamjam per aliquot annos Argentinæ perversa sua spargebat dogmata, tandem vero Tornacum in Flandriam delatus funestum impietatis vitæque suæ exitum sortitus est; cum enim erroribus suis Magistratus zelum in se excitaret, urbis portæ, ne forte fuga elaberetur, occludi jubebantur: ast a suis amicis de ipsius salute sollicitis die secunda Novembris nocturno tempore per urbis mœnia fune demittebatur: ubi vero jamjam pedibus terram attigerat, quidam ex ejus sociis, qui aderant, muro incumbens salutem ei precabatur; ast simul grandiori saxo ex mœniis resoluto Brullii crus confregit. Tum miser horrendos emiserat ejulatus, quibus auditis satellites, qui in eum inquirebant, humi procumbentem ceperunt, atque in vincula conjecerunt. Postea Argenti-

ti-

tinensis Senatus, nec non Protestantium Sæcul. XVI. A.C. 1544.
 Oratores, qui tum WORMATIÆ agebant, comperta illius captivitate nullum non movere lapidem, ut Brulio vitæ gratiam impetrarent: verum tardæ nimis erant horum omnium preces; quippe jamjam die decima nona Februarii Brulius lento igne vivus fuit exustus: adeo tamen suos errores non retractabat, ut etiam illos usque ad ultimum vitæ halitum pertinaciter propugnaret.

§. LXI.

Merindolani & Cabrierensis tumultus initia.

Verum magis severum adhuc supplicium de hæreticis sumebatur Merindoli ac Cabrieræ duobus oppidis, quæ in Viscantini Comitatus finibus in Provincia sita erant; cum enim ad has urbes tanquam tutum nequitiae asyllum nonnulli, qui ex Valdensibus superant, confugerent, eorum posterius harum urbium incolæ errores, quos a suis Majoribus hauserant, semper pertinaci animo tuebantur, simulque indefesso profus labore Provinciæ montes colebant, totamque regionem fatis fertilem, atque ad pascenda armenta aptam reddiderunt: dum vero spuria Lutheri reformatio invalescere cœperat, hi quoque perceptis iis, quæ in Germania agebantur, animos

*Sleid. l. c.**p. 534.**Thuan. hist.**l. 6. sub Hen-**ric. II. ann.**1550.**Vide Lib.**CXXXVIII**§. 85. & 86.*

Sæcul. XVI. mos erigebant, ac in fratrum numero il-
A.C.1544. los, qui Protestantes vocabantur, habe-
 bant, eorumque Doctores accersebant,
 ut ab illis novæ hujus sectæ præcepta
 addiscerent. Inde factum, ut crescente
 suorum numero hæresin, quam a suis
 Majoribus hauserant, palam profiteren-
 tur, arctamque cum Lutheri Sæctatori-
 bus, qui in Germania erant, amicitiam
 foverent, vicissim vero iisdem Protestan-
 tes identidem suos submittebant Mini-
 stros, qui illos adhuc magis in errore fir-
 marent, atque ad novam doctrinam ibi-
 dem publice prædicandam accende-
 rent. Attamen Provinciæ Senatores
 huic malo obicem ponere totis viribus
 adlaborabant; verebantur enim, ne præ-
 fati hæretici proxime seditionem essent
 conflaturi: quapropter Procuratore
 Generali id postulante una omnes com-
 parere jubentur, præsentem Bartholo-
 mæo Chassaneo celeberrimo Juriscon-
 sulto, qui tum primi Præfulis munere
 fungebatur.

§. LXII.

*Sententia contra utriusque oppidi
incolas lata.*

Thu. hist. l.c. Verum accusati sprete citatione com-
 parere neglexerunt, eoquod eorum
 amici eisdem auctores exstitissent, ne
 morem gererent, nisi vivi comburi mal-
 lent,

lent, quapropter die decima octava No-
 vembris anno post Christum natum mil-
 lesimo quingentesimo quadragesimo tan-
 quam contumaces fuere damnati, lata
 in eos hac terribili ac severa sententia,
 vi cuius omnes Merindolani incolæ ro-
 gi supplicio afficerentur, ac dirutis, fo-
 loque æquatis eorum ædibus, sylvis ac
 receptaculis, insuper eorum bona Regis
 ærario addicerentur, ipsi vero Regno
 proscriberentur, ac denique in eorum
 hortis arbores, pomaria & circumvici-
 næ sylvæ excinderentur. Hujus sen-
 tentiæ executio propriis demandata fuit
 Judicibus, qui pro more Aquis, Tourvii,
 Aptæ Julii, atque in S. Maximini oppi-
 do jura dicebant. Horum nonnulli exe-
 cutionem differri petebant, verum con-
 tendebant alii, potius eam omnibus vi-
 ribus urgendam esse; hos inter præci-
 pui erant Aquensis, atque Arelatensis
 Archiepiscopi, spondentes, quod hu-
 jus belli expensas pro parte ferre vel-
 lent.

§. LXIII.

*Hujus sententiæ executio adhucdum
 dilata.*

Cum interea hæc quæstio ultro citro-
 que agitaretur, totum negotium dif-
 ferebatur, id impetrante Nobili quodam
 Arelatensi nomine Allensio, qui hanc in
 rem

Sæcul. XVI
 A. C. 1544.

*Sleid. Thes.
 l. c.*

*Duplex hist.
 de France vie*

Sæcul. XVI. rem opportune proferebat quamdam hi-
 A.C. 1544. storiam satis facetam, quæ Augustoduni
 de Franc. I. Cassaneo acciderat. Hic enim (ita nar-
 hoc anno. rabat Allenius) quamvis non nisi Cu-
 De Thou l. c. riæ Advocatus esset, quamdam causam
 in se susceperat contra illius loci incol-
 las, qui ad illum tunc temporis questum
 venerant, quod mures eorum frumen-
 tum penitus depascerent, ipse vero Ad-
 vocatus murium causam propugnare
 aggressus est. Hæc relatio tantum pro-
 ficiebat, ut non modo sententiæ execu-
 tio differretur, sed etiam milites, qui
 magno jamjam numero confluerant,
 ad sua reverti juberentur, usque dum
 certior de Regis voluntate notitia ha-
 beretur. Referunt nonnulli, quod ad
 hanc mutationem haud parum contule-
 rint preces Guilielmi Bellaji Langæi,
 qui tum in Pedemontio Pro-Rex erat.
 Hic enim sententiam nimis severam ra-
 tus, ob illam submissionem, quam Me-
 rindolani incolæ utcunque præstabant,
 præteritorum criminum oblivionem esse
 concedendam censebat, eo potissimum
 nomine, quod, ut inquebat ipse, spe-
 ciatim in hanc rem a regia Majestate
 sua inquirere jussus, post exactam hujus
 negotii discussionem deprehenderit,
 quod gentes illæ, quas Valdenses no-
 minant, in montibus delitescentes, tre-
 centis abhinc annis incultos agros inco-
 lere

lere cœperint, ea lege, ut eorum Domini tributum penderent, non sine felici assidui laboris successu; quippe hasce terras omni cultu vacuas non modo fertiles, sed etiam pascendis pecoribus ac serendo frumento idoneas reddiderunt: Porro Valdenses isti, ita prosequabatur Episcopus, Viri sunt nullo labore fracti, victu parcissimi, in vectigalibus tamen & tributis Regi, eorumque Dominis annue pendendis fidelissimi: de cetero frequentant raro admodum Ecclesias, imo etiam coram Imaginibus nunquam genua flectunt, nec pro se, nec pro defunctis rem divinam peragi curant, nunquam signo crucis se muniunt, nec etiam aqua lustrali utuntur, minus vero prope salvificam Christi Crucem prætereuntes pileum detegunt. Insuper ritus a nostris omnino diversos adhibent, suasque orationes in lingua vulgari persolvunt, ac denique nec Papam nec Episcopos reverentur, sed duntaxat quosdam ex suis seligunt, quos ad exercendas sectæ suæ functiones tanquam Ministros ac Pastores nominant (*).

§. LXIV.

(*) Ne ipse quidem Sleidanus, quem Continuator allegat, de hac Langæi Episcopi oratione mentionem facit.

Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. T

Sæcul. XVI;
A. C. 1545.

Sæcul. XVI.
A.C. 1545

§. LXIV.

*Varia Valdensibus a Rege data, sub
adjecta tamen errores suos eju-
randi lege.*

*Maimb. hist.
du Calv. t. 1.
l. 2. p. 123. &
124.*

Cum hæc Episcopi verba ad Regem
deferrentur, mox ipse ad Aquensem
Senatum Diploma dedit decima octava
Februarii anno millesimo quingentesi-
mo quadragesimo primo expeditum, vi-
cujus Rex his Valdensibus veniam con-
cessit, si tamen intra trimestre errores
suos ejurare vellent: Ut autem illi, qui
hac Regis gratia frui cupiunt, eo faci-
lius a ceteris dignoscerentur, hinc ei-
dem Senatui in mandatis datum, ut
quosdam hujus gentis Deputatos, qui
ceterorum nomine palam hæresin suam
damnarent, Aquas venire juberet, si ve-
ro nonnulli morem gerere renuerent, in
hos legum severitate animadverteret,
atque ad hujus sententiæ executionem
omnes hujus Provinciæ Ministri ac mi-
lites Aquensi Curiaë auxilia præberent.
Hoc edictum die octava Februarii pro-
mulgatum fuit, & postquam illius au-
thoritas ab ipso Senatu comprobata fue-
rat, mox Franciscus Chajus & Guilliel-
mus Armandus a Merindolanis deputa-
ti Aquas contenderunt, nec non libel-
lum supplicem Senatui porrexerunt,
hæc

hæc exponentes: „Æquitati haud con- Sæcul. XVI.
 „gruit, quod, priusquam hæreseos con- A. C. 1545.
 „vincamur, tanquam hæretici procla-
 „memur, atque indiéta caussa damne-
 „mur, quocirca rogamus, ut caussa no-
 „stra ad novam discussionem revocetur,
 „nec non Theologi congregentur, qui
 „de doctrinæ nostræ articulis confe-
 „rant. Adhæc Chassaneus supremus
 Consilii Præses, cum Allensii amici sui
 monita maturius perpenderet, Depu-
 tatos privatim coram regiis Ministris
 convenit, eosque hortatus est, ut ejuratis
 erroribus suis constitutos Judices intem-
 pestiva hac obstinatione non eo adige-
 rent, ut pœnis, ipforum expectatione se-
 verioribus illos castigare compellantur:
 ast cum probe intelligeret, quod de er-
 rore convinci pertinaciter peterent,
 hinc tandem illos eo induxit, ut sectæ
 suæ articulos ad Regem transmittendos
 Senatui traderent.

§. LXV.

*Fidei professio a Cabriensibus ad
Regem transmissa.*

Cum autem Cabrienses incolæ in
 Viscantino Comitatu sese ab Ave-
 nionensi Vice-Legato invasos cernerent,
 parique cum ceteris fato exponi perti-
 mescerent, hinc suam quoque fidei pro-
 fessionem a Lutherana haud abfimilem

Sæcul. XVI. conscripserunt, atque unum illius exem-
A.C. 1545.plar ad Regem, qui hosce articulos di-
 scuti iussit, transmiserunt; aliud vero
 tradiderunt Jacobo Sadoletto Cardinali,
 & Carpentoractensi Episcopo, qui pro
 ingenta sua benignitate ac benevolen-
 tia illos, qui hanc fidei normam attule-
 rant, comiter excepit, his verbis eos al-
 locutus: „ Cunctis, quæ hucusque con-
 „ tra vos fuere delata, nullam fidem ad-
 „ hibui; ea enim duntaxat ad invidiam
 „ in vos concitandam adinventa fuisset
 „ existimabam, nunc vero vobis incum-
 „ bit, ut doctrinam vestram, quæ Eccle-
 „ siæ dogmatibus adversatur, emende-
 „ tis; ubi enim de summo Pontifice at-
 „ que Episcopis sermonem ingeritis, ni-
 „ mia verborum vehementia, ac male-
 „ volentia utimini, cum tamen vestrum
 „ esset, submissionem profiteri, itylumque
 „ magis moderatum adhibere. De ce-
 „ tero vos magno semper affectu com-
 „ plectar, nec vos opprimi unquam pa-
 „ tiar, brevique ad Palatium Cabrieren-
 „ se proficiscar, ubi de tota rei serie ex-
 „ actam magis notitiam haurire potero,
 „ simulque prohibere studebo, ne dein-
 „ ceps Vice-Legati copiæ hostilem in
 „ modum vos insectentur. „ Id etiam,
 quod promisit Cardinalis, feliciter impe-
 travit.

§. LXVI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1545.*Valdenses rursus a Minerio primo Senatus Præside vexati.*

Quamprimum Merindolani suam fidei professionem exhibuerant, mox Aquensis Senatus ad eos ablegavit Joannem Durandium Cavallonensem Episcopum unacum quibusdam Theologiæ Doctoribus, qui hosce hæreticos erroris sui convincerent, eosque, si tamen docilitatem ac submissionem ostenderint, ad veritatis semitam revocarent, eos vero, quos sectæ suæ pertinaciter insistere, ac correctionis impatientes deprehenderint, ad Curiam deferrent. Verum illi de suis erroribus decedere sibi integrum præfracte negabant, quoniam vero Rex totam eorum causam ad suum Senatum devolvi jusserat, haud acerbiora experiebantur, quamdiu Chasfaneus in vivis erat, eo autem defuncto Joannes Minerius Baro de Oppeda illius successor denuo hosce contumaces severius vexare cœperat, datisque ad Regem literis hæc nuntiabat: „Valdenses adeo non Regis clementiam implorant, ut etiam sese ejusdem mandatis palam opponere non erubescant, hinc jamjam suorum sexdecim millia contraxerunt, urbem Massiliensem vi occupare intenti, spretisque induciis,

T 3

„quas

*De Thou
hist. l. 6.
Bouche hist.
de Provence
liv. 10.*

Sæcul. XVI., „ quas ipsis Curia perbenigne indulse-
A C. 1545. „ rat, ipsi agros continuato furore de-
 „ populati sunt, Sanctorumque & Chri-
 „ sti Crucifixi imagines, & altaria con-
 „ fregerunt, ac combusserunt, cum ta-
 „ men Regis Ministri illis nullam adhuc
 „ vim intulissent: imo, ut paucis cun-
 „ cta complectar, jam a longo tempore
 „ totam, qua late patet, Provinciam in-
 „ genti calamitate opprimunt, illamque
 „ cum majori crudelitate devastant,
 „ quam publici viarum grassatores. „
 Sub idem tempus Ludovicus Curtinus
 Curiae satelles mittebatur, ut Procura-
 toris generalis nomine postularet, qua-
 tenus sententia contra contumaces hos-
 ce incolas pronuntiata executioni da-
 retur.

§. LXVII.

*Sententia in Valdenses lata Regis
 jussu effectui data.*

Duplex l. c.
anno 1548.
p. 497
De Tiou l. c.

Rex comperta horum pertinacia haud
 parum exacerbatus, ac præcipue a
 Cardinale Turnonio capitali spuriae re-
 formationis inimico stimulatus mense
 Januario hoc anno Christi millesimo
 quingentesimo quadragesimo quinto no-
 vum Diploma promulgari jussit, vi cu-
 jus Aquensi Senatui in mandatis da-
 tum, ut sine moræ dispendio sententiam
 anno Domini millesimo quingentesimo
 qua-

quadragesimo latam executioni daret, ^{Sæcul. XVI.}
 nec minus postea Rex ad Provinciæ ^{A.C. 1545.}
 Præfectum perscribi iussit, præcipiens,
 ut illico milites conduceret, ac utrius-
 que clientelæ Nobilitatem, ceterosque
 fuzæ jurisdictioni obnoxios ad arma
 convocaret, si eorum ope pro hisce hæ-
 reticis ad Regis, & iustitiæ obsequium
 reducendis, nec non pro Provincia ab
 hæresi perpurganda indigeret. Mine-
 rius equidem hæc Regis mandata, do-
 nec pro eorum executione cuncta ma-
 gis necessaria parasset, religioso admo-
 dum silentio premebat, nihilominus
 Valdenses hunc armorum apparatus
 contra se adornari suspicabantur, qua-
 propter Protestantium Germaniæ Prin-
 cipum, ac Helveticarum Tribuum opem
 implorabant, haud irritò successu; quip-
 pe hi quosdam ad Regem ablegabant,
 supplices, ut erga hosce miseros cle-
 mentia uti vellet. Verum illis dunta-
 xat hæc in responsis dabantur: „ Nec
 „ de illis, quæ Rex in suo Regno agit,
 „ nec de ratione, qua reos punit, ul-
 „ lam habeant sollicitudinem, cum nec
 „ ipse Rex eorum sese ingerat negotiis. „
 Accepto igitur hoc responso Aquensi,
 Arelatensi, & Massiliensi Senatui nego-
 tium dabatur, ut omnes ad militiam ido-
 nei indicta etiam pœna satis severa ad
 arma evocarentur: cum autem sub idem

Sæcul. XVI tempus Polinius Centurio sub Baronis
 A.C. 1545. de Gardia nomine notus ex Pedemontana regione unacum sua equitum centuria, peditumque sex millibus opportune accurrisset, Minerius primas eo curas intendit, ut mox Regis iussa exequeretur.

§. LXVIII.

Regis mandata per Minerium coram Senatu lecta, atque executioni data.

Steid. p. 534. Die duodecima, vel forte decima tertia Aprilis Minerius habito Senatu
Es 535. Regis Diploma, quo sententia in Merindolanos lata effectui dari præcipiebatur, prælegi iussit, simulque pro illius executione Franciscum le Fond Præsidentem, Honoratum de Tributis, & Bernardum Badetum Consiliarios unacum Nicolao Guerino studiosissimo hujus belli promotore deputavit, ipse vero comitantibus eum plurimis Nobilibus ac Ministris quadringentos fossores duxit præter sex armatorum millia, quæ paulo post adventarunt. His copiis munitus die decima quinta Aprilis Cadenetum venit, quod oppidum est media leuca a Durantio flumine, tribus vero ab Apta Julia, & quinque leucis ab Aquis Sextiis distitum. Ibidem Minerii copiarum castra

fra metabantur, primamque hujus belli expeditionem in Pertuisana ditione inchoabant, moxque urbem Mottam, oppidumque S. Martini ad Durantium fluvium situm ceperunt, ac igni absumperunt. Altera die Villa-Laurum, Lurmarinum, Gensonium, Trezaminam, & Ruperfium, cum incolæ ex hisce urbibus excessissent, pariter crudelem in modum continenti incendio deleverunt, cunctaque armenta ibidem reperta abegerunt. Postea Præfectus Merindolum aggredi statuit: cum autem incolæ flammam omni ex parte grassari cernebant, unacum uxoribus, suisque liberis aufugerunt, atque in sylvis & montibus securitatis asylum quæsierunt. Vix aliud erat spectaculum magis miseratone dignum, quam cernere infelicis hujus gentis fugam; nam currebant præcipiti gressu per devia, & invia senes cum suis liberis, & mulieres infantes suos vel in cunis, vel in brachiis, vel adhuc in sinu suo gestantes. Tumultuabantur autem milites in hosce miseros, ac quemcunque obvium, pro ut casus, vel fors dederat, atrociter trucidabant.

Sæcul. XVI.
A.C. 1545.

Sæc. XVI.
A.C. 1545.

§. LXIX.

Prospera Merindolanorum fuga; &
Minerii crudelitas.

Sleid. p. 535. Porro Gallorum exercitus prima tentoria figebat in S. Falesii oppido, cujus incolæ pariter fuga salutis suæ consulere parabant, eoquod eisdem nuntiatum esset, quod Cavallonensis Episcopus, ac Vice-Legatus suis militibus in mandatis dedissent, ut nemini vitæ gratiam concederent. Altera tamen die nonnulli sub sylvarum densitate tuti militum furori sese subdixerunt: postquam vero longas atque asperas vias erant eluctati, tandem ad locum pervenerunt, ubi suorum quam plurimos, qui jam antea aufugerant, reppererunt, nec tamen longam ibi moram trahebant, accepto nuntio, quod Minerius jamjam propius accederet, quapropter eodem ferme momento inde profecti, suas uxores ac liberos ibi reliquerunt, spe concepta, quod horum imbecillitas facile militum ferociam flecteret. Verum eodem tempore percipiebantur gemitus atque ejulatus, quos dissona vocum confusione multiplicatos montium cavernæ horrendo fragore replicabant. Tandem hi miseri totam noctem currentes superato monte Leberone multos vicos ac prædia ardere conspexerunt.

xerunt, unde Mussium oppidum petere ^{Sæcul. XVI.}
 coacti sunt; verum Minerius exercitu ^{A.C. 1545}
 suo in duo agmina diviso alterum ad in-
 sequendos hosce fugitivos emisit, alte-
 rum vero ipse Merindolum duxit, ubi
 tamen non nisi unicum adolescentem
 nomine Mauritium le Blanc reperit, in
 quem tamen omnem suam rabiem effu-
 dit, eumque ad oleam alligari, explosis-
 que sclopetis trucidari, tandemque op-
 pidum solo æquari atque comburi iussit.
 Demum promiscue omnes, qui vicina
 loca incolebant, nullo discrimine facto
 occisi fuerunt, atque in diversis locis
 plus quam tria hominum millia furen-
 tium gladiis occubuerunt, reliqui vero
 fame perierunt, exceptis paucis qui-
 busdam, quorum aliqui ad Helvetios,
 alij vero ad Genevenses confugere.

§. LXX.

Sæva Cabriensium cædes.

Merindolanis ita extinctis Præfectus *Sleid. & de*
 Cabriam petiit, ubi non nisi se- *Trou l. c.*
 xaginta Viri cum triginta foeminis re-
 manserunt, qui primo quidem oppidi
 portas clauserunt, cum autem belli tor-
 menta admoveri cernerent, petita vitæ
 venia deditionem fecerunt, quam qui-
 dem hujus oppidi Toparcha, nec non
 Baro de Gardia illis polliciti sunt, eos
 tamen captos postea occidi iusserunt;
 idem

Sæc. XVI. idem quoque fatum subibant illi, qui vel
 A.C. 1545. in arce delitescebant, vel loci religione,
 se tutos putantes ad ædes sacras confu-
 gerant. Ibidem ferme omnes nec æta-
 tis ac sexus, nec loci vel datæ fidei ha-
 bita ratione in proximo prato fuere stran-
 gulati, mulieres vero Præfecti jussu ad
 quædam horrea paleis plena abstractæ,
 & subjecto igne fuerunt combustæ, illæ
 vero, quæ ex fenestris sese præcipites
 dare parabant, vel furcis repellebantur,
 vel in ima cadentes erectis hastarum
 cuspidibus excipiebantur, nec magis be-
 nigna fors adspirabat cunctis ad monta-
 na fugientibus; hi enim vel fame, vel
 feris depasti perierunt, quippe omni ef-
 fugio ipsis præciso veluti leones in arce
 inclusi obsidebantur, cunctisque propo-
 sita capitali poena inhibitum, ne illis
 quodcunque alimenti genus submini-
 strarent. His calamitatibus pressi quos-
 dam ad Minerium ablegabant, suppli-
 ces, ut relictis bonis suis, ac obtenta
 vitæ gratia ad exteras regiones ipsis
 profugere liceret. Ad horum preces
 Baro de Gardia, quamvis ceteroquin æ-
 que crudelis ac Præfectus esset, commo-
 tus videbatur, verum Minerius hæc arro-
 gantius respondit: „Promiscue omnes
 „cædantur, nullusque incolumis evadat,
 „sed ad infernum omnes detrudantur:„
 Octin-

Octingenti igitur homines funestæ hujus Sæcul. XVI.
 expeditionis victimæ ceciderunt. A. C. 1545.

§. LXXI.

Costenses pari supplicio multati.

Postea Minerius Costam processit, cu- *De Thou &*
 jus oppidi Dynasta impunitatem pro- *Sleid. l. c.*
 miserat, dummodo eorum armis ad ar-
 cem delatis, in quatuor diversis locis mœ-
 nia urbis suæ demolirentur, igitur hi ni-
 mium creduli jussa exequuntur: ast ad
 Præfecti adventum suburbia incende-
 bantur, captaque urbe incolæ ad unum
 omnes fuere trucidati. Confugerant
 mulieres ac puellæ ad hortum arci vi-
 cinum primam furentis militis rabiem
 declinatæ, verum promiscue omnes
 vi compressæ adeo inhumane habeban-
 tur, ut earum plures famis violentia vel
 animi mœrore, vel tormentorum vi ex-
 tinguerentur. Postea illi etiam, qui
 in oppido Mussio sub rupe latitabant, ab
 aliis proditi idem cum ceteris fatum su-
 bierunt, nonnulli autem alii in fylvis,
 desertisque montibus delitescentes po-
 tius morte hisce malis subduci, quam in
 istis speluncis tam bonis, ac uxoribus,
 liberisque orbatu vivere peroptabant.
 Numerabantur viginti duo oppida seu
 vici partim militum deprædatione, par-
 tim incendii furore deleti. Tandem
 Præfecti jussu quidam deputabantur Ju-
 di-

Sæcul. XVI. dices, ut iudicii acta instruerent in reli-
A.C. 1545. quos, qui mortem effugerant. Horum
 nonnulli ad triremes damnati, atque alii
 ingentes pecuniarum summas multæ
 nomine pendere coacti fuere, paucissimi
 vero ab omni pœna liberi denuntiaban-
 tur, hos inter erant Centalii Toparchæ
 subditi, qui publice suos errores ejura-
 runt.

§. LXXII.

*Minerius per Deputatos hujus cru-
 delitatis impunitatem a Rege
 efflagitans.*

De Thon l. 6. **P**eracta crudeli hac cæde Minerius
 Præfectus, nec non præfati Judices
 pertimescere cœperant, ne Rex perce-
 pta rei gestæ serie tantam sævitiam hor-
 reret, & a totius hujus tragœdiæ aucto-
 ribus suo tempore pœnas deposceret,
 hinc Fontium Præsidem ad Regem de-
 putabant, eo fine, ut contra illos, qui
 adeo crudeliter fuere trucidati, crimina
 tam atrocia deferrent, ut spectata ho-
 rum scelerum immanitate levi adhuc
 supplicio multati crederentur. De-
 mandato hoc negotio Præses adeo feli-
 citerungebatur, ut Rex omnia, quæ
 gesserat, veluti rata acceptaque haberet,
 ac die decima octava Augusti hanc in
 rem ederet quamdam declarationem,
 quam

quam præcipue promovit auctoritas Tur-
 nonii Cardinalis, qui tamen Regi animum
 hanc ob rem turbatum penitus sedare
 haud poterat: quin imo referunt non
 pauci Scriptores, quod Franciscus Rex
 morti proximus disertis verbis Henri-
 cum II. filium suum rogaverit, quate-
 nus hujus negotii æquitatem rursus di-
 scuti juberet, illosque, qui crudelis hu-
 jus sententiæ vel auctores vel executo-
 res exstiterunt, castigaret.

§. LXXIII.

*Episcopatus ad Cranmeri arbitrium
 pluribus concessi.*

Cum interea Angliæ Rex Gardinerum
 Viacomiensem Episcopum Brugam
 ad Cæsarem ablegasset, Cranmerus Can-
 tuariensis Archiepiscopus hujus absen-
 tia opportune usus reformationis nego-
 tium, cui Gardinerum summe adversa-
 turum noverat, promovere pro viribus
 adlaborabat: eapropter pro felici consi-
 lii sui executione quædam moliri cœ-
 perat, verum Gardinerus rem edoctus
 mox literas ad Regem dedit, quibus ex-
 posuit, quod firmato Papam inter & Cæ-
 sarem fœdere minima etiam Religionis
 immutatio in Angliæ Regno tentanda
 facile utrumque eo inducere posset, ut
 ambo Galliarum Regi omnem, quam
 desideraret, satisfactionem præstarent,
 hoc-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1545.

Burnet hist.
 Reformat.
 t. 1. l. 3. p.
 457.

Sæcul. XVI. hocque pacto illum suo fœderi adjunge-
A.C. 1545. rent, demum vero una omnes Angliæ
 Regnum junctis viribus invaderent. Hæc Gardineri monita cohibebant
 Cranmeri consilia, quamvis hic præva-
 lente auctoritate sua tantum apud Re-
 gem efficeret, ut quidam Prælati ipsius
 studiis addictus secundam Ecclesiæ An-
 glicanæ dignitatem obtineret, Leo
 enim Eboracensi Archiepiscopo vivis e-
 repto Rex hanc Ecclesiam Roberto Hol-
 gaito Tassensi Episcopo, istius vero Epi-
 scopatum concessit Kitchino Præfati,
 qui in variis Regni vicissitudinibus se to-
 tum ad Principum arbitrium nutumque
 posterioribus temporibus fingere nove-
 rat. Præterea Bello Vigornienti Epi-
 scopo anno priori dignitatem suam ab-
 dicanti Heathus Roffensis Episcopus
 fuit subrogatus, hanc vero Ecclesiam
 Henricus Holbeathus spurixæ reforma-
 tionis fautor impetravit: Samson vero
 Cicestriensis Episcopus Conventriensem
 & Lichfeldianam Ecclesiam aucupatus
 est, Cicestriensi vero Sedi, quam di-
 miserat, præficietur Dayus, qui
 itidem Novatorum doctrinæ plurimum
 favebat.

§. LXXIV.

Sæc. XVI.

A.C. 1545.

*Collegiorum ac Nosocomiorum bona
a Senatu Regi concessa.*

Die vigesima tertia Novembris An-
glie Senatus Conventum habuit,
in quo Provinciæ Cantuariensis Clerici
rursus ad biennium ex qualibet libra
Francica sex solidorum subsidium ad
belli expensas concesserunt. Sub idem
tempus Rex a diversis Curiis facultatem
petiit, vi cuius Chori præfecturas, So-
dalitates, sacras oblationes, Missas a
fidelibus pro suis vel Parentum suorum
animabus fundatas, Nosocomia, Semi-
naria, Collegia, eorumque bona pro
suo arbitrio impendere posset; quin imo
ne eorum quidem redditibus erat con-
tentus, sed etiam horum omnium loco-
rum fabricas, ædes atque Ecclesias sibi
vendicabat, adeo, ut *jam nihil*, prout
inquit Sanderus, *Regi superesse amplius
in universo Regno videretur, ex quo pecu-
niam conflare posset, nisi aut viventium ca-
pita, aut morientium sepulcra vendere co-
gitaret.*

Hic tandem steterunt violentæ Re-
gis usurpationes. Interim Parlamen-
tum ad eum devolvit cuncta hæc bona,
desuper concessa eidem ea occupandi,
iisque, quamdiu placuerit, fruendi po-
testate: Ad honestandam vero ejus-

Hist. Eccles. Tom. XXXVIII, U mo-

*Burnet. l. c.
p. 463.
Herbert hist.
Henr. VIII.
Sander. de
Schif. Angl.
p. 213.*

Sæcul. XVI. modi rapinam obtendebatur, quod huc
A.C. 1545. usque Ecclesiastici horum bonorum re-
 ditibus fuerint abusi: cum vero tam
 crebra furta nondum Regis avaritiam
 ullo pacto satiandam explerent, insu-
 per eidem ingens pecuniarum summa
 promittebatur, quo facto Parlamentum,
 cum ea duntaxat ex causa hunc Con-
 ventum egisset, die vigesima quarta De-
 cembris ad sua reverti jubebatur, prius
 tamen Rex, qui præsens aderat, ser-
 monem habuit, in quo præter alia hæc
 verba proferebat: „ Nunquam alius
 „ quiscunque Rex præter me sincero
 „ magis affectu suos subditos est profe-
 „ cutus, nec etiam ullo unquam tempo-
 „ re vicissim subditi majorem erga Re-
 „ ges suos amorem testati sunt. „ His
 addebat plures ejusmodi vanas jacta-
 tiones, quæ etiamsi omnes veritati pe-
 nitus adversæ essent, a populo tamen
 non sine festiva acclamatione, ac publi-
 co applausu excipiebantur.

§. LXXV.

*Lutheri libellus contra Papam, &
 Theologos Lovanienses.*

Sleid. l. 16. p. 529. & 524 Interea Lutherus pro parte sua Catho-
& 540. licam Religionem editis quibusdam
Cochl. in act. libellis impugnare continuabat, præpri-
& script. mis vero ineunte hoc anno Lovaniensi-
Luth. anno bus Theologis respondit, eosque tan-
1545. p. 311. quam

quam hæreticos & sanguinarios convitia- Sæcul. XVI.
 batur, eoquod falsam & impiam doctrinam A.C. 1545.
 propugnent, quam cum nec ratione, nec sa-
 cris literis defendere valent, ideo vim adhi-
 beant, & igni ferroque grassentur: nam il-
 li, æque ac Parisini Doctores, nuda solum
 axiomata proponunt, & quid sequendum sit,
 præscribunt, locum vero nullum ex sacro
 Codice adducunt, sed Magistratum ad uni-
 madversionem inflammant. Pariter de
 Cœna Domini libellum vulgavit, in quo
 veterem illam altercationem jam olim
 contra Sacramentarios habitam inno-
 vavit, pluraque probra adversus Zwing-
 lium, ejusque Sectatores effutiit. His
 convitiis mox Tigurini acerbis admo-
 dum verbis responderunt. Verum in-
 ter omnia Lutheri opera præ ceteris
 omnibus majorem ejus furorem spirat
 Germanicum illud scriptum, cui titu-
 lus: *Adversus Papatum Romæ a Sathana
 fundatum.* Ibidem præprimis ad Ponti-
 ficis epistolam Cæsari scriptam, cujus
 supra meminimus, respondet, eosque
 sacræ Scripturæ textus, quos Pontifex
 ad stabiliendum Sedis Apostolicæ Pri-
 matum adduxerat, refellere nititur.
 Insuper ad libelli sui frontem præfixit
 imaginem, quæ Papam repræsentat in
 sublimi folio collocatum, nec non Pon-
 tificali habitu ornatum; manusque jun-
 ctas unacum afininis auribus elevantem,

Sæcul. XVI. eumque cingebant plures diversæ figuræ dæmones, quorum aliqui thiarum stercorebus refertam ejusdem capiti imponebant, atque alii funibus eundem ad inferos raptabant, hi vero ad eum ignibus comburendum ligna afferentes, isti autem ad faciliorem descensum ejusdem pedes certatim sustinentes repræsentabantur (*).

§. LXXVII.

(*) En egregium sane Evangelicæ mansuetudinis specimen, quis honestus prudensque Vir furiosum hunc hominem a Deo ad reformandam Ecclesiam missum credat: num vel unquam Apostoli, sanctæ Ecclesiæ Doctores, aliique Apostolici Viri Paganos Principes, vel alios, qui Christianæ fidei ab eis prædicatæ adversabantur, indignis adeo convitiis obruebant: *Verum hæc, inquit Surius comment. ad hunc annum, nulla indigent confutatione, quia per se produnt peccus omni spurcitiæ & turpitudine inquinatissimum, quod qui non vident, illis nemo potest pejus precari, quam ut in hac cæcitate permaneant. Id quidem notatu dignum est, in Lutheri & totius gregis ejus apostatarum Monachorum scriptis nihil fere crebrius malo dæmone, & stercore nominari, ut intelligat prudens Lector, eos se totos Codæmoni, & spurcissimæ Veneri devovisse. Et tales tam impuri homines, non alio quam vel ipsius Christi Apostolorum loco habentur.*
O hor-

§. LXXVI.

*Wormatiensis Conventus.*Sæcul. XVI.
A.C. 1545.

Cum Cæsar in nupero Spirensi Con-
ventu Comitæ Wormatiæ die vi-
gesima quarta Maji celebranda indixif-
set, ipſus tamen, prout ſperaverat, ut-
pote podagræ doloribus præpeditus ſo-
lemnem hujus Conventus initio intereſſe

U 3 haud

O horrendam nimis Dei iram. Sleidanus
harum picturarum in ſuis Commentariis li-
benter meminit, & non modo non reprehendit,
licet id plerofque feciſſe ſcribat, ſed etiam
nititur nobis ex Luthero Prophetam efficere.
Sic olim Manichæi impuriſſimum nebulonem
illum Manetem, auctorem ſectæ ipſorum, non
alium volebant eſſe, quam ipſum Spiritum ſan-
ctum. Sed veniet ille dies, quando æquiſſi-
mus Jdex Chriſtus veram feret ſententiam,
& tunc apparebit, quam nihil profuerit Lu-
thero Sleidanus, vaniſſimus ipſius encomiaſtes.
Raynaldus verò ad hunc annum n. 48. refe-
rens hanc Lutheri imaginem ita exclamat, *quid*
ſceleratiſ & ſpurcitiſ vel a Mahomete, vel
a Dæmone adverſus Dei Eccleſiam fingi po-
tuit? attamen hic ſpurciſſimus ſcurva ſe or-
ganum Spiritus ſancti eſſe jactavit: quis non
ex his agnoſcat, illum apertum Sathanæ mi-
niſtrum, blaſphemumque Dei hoſtem, exor-
temque omnis honeſtatis & ſapientiæ?

Sæcul. XVI. haud posset, hinc suos eo ablegabat Le-
A.C.1545. gatos unacum Episcopo Augustano, nu-
 per exeunte hoc anno in Cardinalem
 nominato. Aderant etiam Fridericus
 Fürstenbergicus, & Ferdinandus Ro-
 manorum Rex, qui Comitiorum Præses
 duas præprimis exponebat rationes, ob
 quas præsens Conventus haberetur:
 recensēbat vero præcipue Religionis ne-
 gotia, ac bellum in Turcas movendum.
 Postea Ferdinandus ita perorabat: *Cæ-
 sar quidem optabat hisce Comitibus interesse,
 sed adversa valetudine detentus venire haud
 potuit, cum autem exspectatione diuturnior
 fuerit morbus, mutavit consilium, meque con-
 stituit, ut hanc subirem provinciam: cum
 autem de recuperata ipsius salute quotidia-
 nis literis atque nunciis jam notitia habeat-
 tur, haud dubium erit, quin brevi ipse sit
 venturus, ut reipublicæ consulat: hac etiam
 causa pacem cum Galliarum Rege fecit, in
 eoque rempublicam privatis suis commodis
 anteposuit, quo videlicet rebus undique paci-
 tis Religio componi possit atque emendari,
 nec non postea omne robur, studiumque in
 Turcam expediri.*

His subjunxit Ferdinandus: *Apud
 Pontificem Cæsar id effecit, ut, quod antea
 prorogaverat, Concilium rursus denuntia-
 ret: itaque dies illi designatus est ad Idus
 Martias jam præteritas, Et missi sunt a Cæ-
 sare jam eo Legati, Et a me quoque: solici-
 ta-*

tatus etiam a Cæsare Pontifex, ut pro sui
 loci, & ordinis dignitate conferret in Tur-
 cam auxilia, respondit, se, quid in eo face-
 re velit, in his Comitibus per Legatum esse
 declaraturum: quantus etiam labor Cæsaris
 intervenerit, ut Concilium haberetur, vos
 non ignoratis: nam ea de re cum Clemente
 VII. Bononiæ, postea cum Paulo III. Ro-
 mæ, Genuæ, Nicæ, Luccæ, nuper etiam
 Busseti diligenter egit, & quamquam a po-
 stremo Conventu Spirensi Cæsar maximis
 rebus fuerit dissentus, non neglexit tamen,
 quod Spiræ decretum fuit, & viris aliquot
 bonis atque doctis negotium dedi conscriben-
 dæ reformationis, quam etiam ab iis accipi:
 cum autem hæc ipsa causa valde sit gravis,
 multamque deliberationem requirat, & vere
 Concilium jam proxime sit inchoandum, &
 propter irruentem Turcam non sit hujus tem-
 poris hac de reformatione deliberatio, vide-
 tur Cæsari consultum, ut ea nunc omissa,
 qui sit Concilii futurus progressus, exspectetur:
 & si quidem appareat, nullum esse fu-
 turum, ut tum ante finem hujus Comitii no-
 vus designetur Imperii Conventus hac ipsa
 de causa: quod ad pacem atque jus attinet,
 existimat Cæsar, non esse, quod quisquam
 in Decretis publicis ea de re factis aliquid de-
 sideret: arbitror quoque, si cui vis aliqua
 fiat, a Cæsare petendum esse remedium: oro
 etiam, ut & de contribuendis in Cameram
 stipendiis, & de constituendis ibi Judicibus

Sæcul. XVI.
 A.C 1545.

Sæcul. XVI. quamprimum aliquid statuatis: Et si forte
 A.C. 1545. de hoc posteriori non convenire possitis, ut
 tum mece fidei munus committatis, ne, si
 nulla sit jurisdictio, respublica detrimentum
 accipiat: de bello Turcico Cæsar perpetuo
 cogitat, nec ullum ætate nostra fuit bellum
 cum ea gente, cui non optavit ipse intere-
 se: nimirum in Africam semel Et iterum
 trajecit, Et Viennam usque gerendi belli cau-
 sa superioribus annis venit: etiam Spiro
 suppetias promisit pro hoc bello, easque pro
 tutela Germanica non recusat, modo vos vi-
 cissim auxilia decreta conferatis: Itaque pe-
 to, ut in eam cogitationem prorsus incumba-
 tis, Et quia non ita multum superest idonei
 temporis, id decernatis: crebris enim literis
 atque nunciis desertur, Turcam ipsum ma-
 joribus, quam unquam antea, viribus in
 Hungariam adventare, quo Germaniam post
 invadat: deliberetis igitur, atque statuatis,
 an inferendum ei sit bellum, an vero dunta-
 xat defendendum, Et quid vestra sit senten-
 tia, Cæsari renuntietis, qui Pontificem et-
 iam, Et Gallicæ Regem ad hujus belli socie-
 tatem perducet, Et alios quoque non desutu-
 ros arbitratur, Et si forte propter tempo-
 ris angustias, Et anni sterilitatem non esse
 inferendum ei bellum hoc anno putabitis, de
 defensione statuatis, Et pecuniam contri-
 buatis, ut Et illi mature possit occurrere, Et
 Cæsar vestra alacritate commotus atque stu-
 dio bellum hoc ipse gerat, quod quidem jam
 olim

olim se facturum promisit, de inferendo au- Sæcul. XVI.
 tem bello, ut scilicet ammissa recuperentur, A C 1545.
 deque Religione proximis in Comitibus agi o-
 portebit: verum in præsentis deliberatione
 opus est celeritate, nam si longius differatur,
 futurum, ut, cum per Hungariam, & aliis
 in locis fines, & aditus omnes hostis occupa-
 rit, disiectis atque dissipatis equitibus levis
 armaturæ, quorum maxima est exercitatio
 per Hungariam, & intercluso comiteatu,
 populus in extremam desperationem addu-
 ctus a nobis deficiat, inque potestatem Tur-
 carum perveniat: qua quidem in re quantum
 insit periculi, quantum dispendii, quantus
 etiam faciendus deinde sumptus, ut ea recu-
 perentur, nemo est, qui non videat.

Tertia Aprilis die Protestantes, qui-
 bus Coloniensis Archiepiscopus, atque
 Elector Palatinus accesserant, hæc ad
 Ferdinandi sermonem reposuerunt: *Hic*
Conventus indictus est potissimum Religionis
caussa, superioribus aliquot colloquiis aditus
est factus ad conciliationem, eoque magis
nunc est sperandum de rei summa: pergra-
tum ergo foret, si quidem hoc omnium pri-
mo tractetur: Germanicæ quidem interest
plurimum, ut ita fiat, & si metus divini
Numinis accedat, non dubitamus de succes-
su: quod si autem vel rei magnitudo, vel
brevitas temporis, vel imminens a Turca pe-
riculum non ferat, opus est tamen, ut illud
Decreti caput, quod est de pace, declaretur

Sæcul. XVI. *amplius: Religioni data est quidem pax ad*
A.C. 1545 *usque Concilium, non tamen agnosimus*
Concilium hoc Tridentinum pro legitimo,
quale fuit in Imperii Comitibus promissum.
Et cur non agnoscamus, jam antea sæpe de-
monstravimus, pax igitur nobis necessaria
est, quæ non sit adstricta Concilio Pontifi-
cio, sed quæ locum habeat, donec de re to-
ta pie fuerit & Christiane transactum, &
quia pax vel constitui, vel esse firma non po-
test, nisi juris administratio sit æqualis,
& vero Spirensi Conventu proximo decre-
tum sit, quid in eo fieri oporteat, non de-
erimus, quo minus ei Decreto satisfiat: hæc
ergo duo capita si decidantur, non recusa-
mus belli Turcici deliberationem.

Ceteri vero Principes ac Ordines Ca-
 tholici, præcipue vero Moguntinus &
 Trevirensis Archiepiscopus suam hac
 super re sententiam his verbis exposue-
 runt: *Religionis causa ad Concilium jam a*
Papa indictum est referenda, & Camera ex
antiquis Imperii legibus constituatur, & se-
cundum jus scriptum judicetur, & ex omni
numero deligi oportet, qui de bello Turci-
co consilia conferant. Stipendium Camera
partem dimidiam pollicemur in annum sex-
tum, & ut reliquum Cæsar persolvat, peti-
mus.

§. LXXVII.

Sæc. XVI.
A.C. 1545.*Ferdinandi ac Protestantium re-
sponsa.*

Rurfus Romanorum Rex Protestan- *Sleid. p. 532.*
tium responsum his verbis excepit: *Et 533.*

Decretum Spiræ factum de pace placuit tum vobis, nec ulla intervenit alia cautio vel exceptio, cum Et ante fuisset indictum Concilium, Et aliquanto post iterum denunciaretur: in Camera quoque confessum recipiendi sunt homines idonei, juxta Decretum Spiræ factum: quod cum ita sit, æquum est, ne quid amplius hac super re requiratis, Et cum reliquis de bello Turcarum statuatis.

Ad hæc Protestantes denuo hunc in modum perorabant: Quoniam ob temporis angustias Et imminentem hostem Religionis causa minime tractari jam potest, Et a Concilio Pontificio nihil boni exspectandum; hinc oramus, ut ante finem hujus Comitii Cæsar alterum Conventum indicat, ubi conciliationis viæ peruestigentur amice: decretum est Spiræ primum, ne quid moveatur turbæ propter Religionem, deinde ut pia Et amica disceptatione dissidium hoc omnino concilietur: huic nempe fundamento Germanicæ pax insistit, neque desideramus quid amplius, modo res in eo permansisset: nunc vero, quando Pontifex, ut conciliationem hanc disturbet Et impediat, Concilium indi-
xit,

Sæc. XVI. xit, in quo solus ipse cum suis definiendi po-
 A.C. 1545. testatem obtineat, cujus etiam Decreto paci-
 ficationem superiorem finire plerique omnes
 dicunt, necessaria nobis est cautio amplior:
 neque vero novum est, quod requirimus, sed
 illud ipsum, quod Spirensi Decreto continetur:
 cur enim Pontificis cognitionem atque
 Concilia recusemus, editis libellis jam pridem
 demonstravimus, & ante annum tertium,
 quando Pontifex, misso Spiram Legato,
 Concilium promittebat, contra testificati sumus,
 ut publicis Commentariis docere possumus:
 breviter, quoties Concilii Pontificii facta est
 mentio, semper illud repudiavimus, & solenniter
 quidem in omnium Ordinum confessu: Jam, etiamsi
 Spira nihil ea de re sit exceptum, tamen si bellum
 est gerendum in Turcam, opus est, ut prius pacata
 sint omnia domi: nam in bellum istud pecunia
 imperanda est populo: sed quo jure vel qua fronte
 pecuniam quis exigat a suis, nisi certam spem illis
 faciat, fore, ut in sua religione cum liberis &
 uxoribus tuto permaneant? nimirum eo suscipitur
 bellum in Turcam, ut & cujusque facultates, &
 Respublica, & vera Religio conserventur: belligerari
 vero cum Turca, & interim domi expositum esse
 periculo, quantulum hæc inter se differunt? gravis
 igitur subest causa, cur amplius caveri nobis petamus:
 de Camera placet nobis, quod dictum sit, ex præscripto
 Decreti Spirensis constituendam esse: de
 sti-

stipendiis autem eo conferendis cum reliquis Sæcul. XVI.
A.C. 1545.
deliberare volumus.

Hinc Principum altercationibus integer mensis Aprilis usque ad septimam Maji diem absolvebatur, quin tamen concordia inter eos revocari potuerit.

§. LXXVIII.

Cæsaris Legatique Pontificii adventus WORMATIAM.

Cum ergo Ferdinandus Protestantes Sleid. &
Cochl. l. c. Principes suis opinionibus pertinaciter insistere cerneret, totum negotium ad Cæsaris adventum remittebat. Discesserat hic Bruxellis die duodecima Aprilis, ac præpediente podagra non nisi modicis itineribus die decima sexta Maji WORMATIAM venerat: altera vero die pariter Cardinalis Farnesius Papæ nepos urbem ingressus est, brevem tamen ibidem moram traxit; cum enim Cæsarem rogaret, ut Concilii celebrationem promoveret, seque Protestantium hostem palam profiteretur, Imperator vero ad repellendos Turcas Protestantium ope ac suppetiis indigeret, hinc illis adversari noluit, sed Cardinali respondit: „Si Pontifici bene visum fuerit, Synodum suam inchoare poterit: ego vero „me huic negotio ingerere nolo (*).

§. LXXIX.

(*) Hoc responsum a Continuatore mere in
Ca-

Sæcul. XVI.
A.C. 1545.

§. LXXIX.

Cæsar Synodum a Lutheranis pertinaciter rejici edocet.

Die vigesima Junii Grinianus Comes, quem Galliarum Rex ad Comitia ablegaverat, ibidem hæc declarabat: *Cum mala sanandi nulla sit ratio melior, quam per Concilium, & illud jam sit indictum ac inchoatum fere Tridenti, Cæsar atque Rex decreverunt operam dare, ut legitime ac ordine peragantur omnia, & sublatis offensionibus concordia recuperetur, & optatum otium Germaniæ restituatur: itaque Rex obsecrat, ut & ipsi Protestantes Concilium approbent, ceterorum Regum atque Principum exemplo: hoc enim ad ipsorum omnium salutem pertinet.*

Verum in irritum cadebant Legati monita; constanter enim Protestantes Synodum approbare recusabant: cum autem Cæsar spem concepisset, fore, ut Lutheri Sectatores ad consilia magis moderata descensuri essent, quamprimum de quibusdam statutis circa Religionis negotia condendis ageretur, hinc eorum pertinaciam summopere indignabatur.

Cæsar's odium fuisse confictum haud temere conjicimus, eoquod nec Sleidanus, nec alii illius mentionem faciunt.

batur, præcipue cum illi palam declara-
 rent, quod pro Concilii loco urbs in in-
 tima Germaniæ parte sita, ubi Pontifi-
 cis auctoritas nemini suspecta esset, pro
 Concilii loco seligenda foret, simulque
 contenderent, ut ipsemet Imperator vel
 supremus Imperii Cancellarius, non au-
 tem alii ibidem Præsidis officio funge-
 rentur. Præterea Cæsar non parum
 commovebatur, eoquod nullus ex Prin-
 cipibus Lutheranis per se ipsum huic
 Conventui præsens adesset, exceptis Co-
 loniensi Archiepiscopo, & Electore Pa-
 latino, ex quibus prior jam palam Lu-
 theri sectæ nomen dederat, quapropter
 in hisce Comitibus, prout tamen utrin-
 que conventum erat, nihil de Religio-
 nis dissidio agebatur, sed unice discussis
 quibusdam aliis negotiis subinde occur-
 rentibus Cæsar Comitibus solvit, atque
 alium indixit Conventum die quarta
 proximi mensis Januarii celebrandum.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1545.

§. LXXX.

*Judicii acta a Coloniensi Clero con-
 tra suum Archiepiscopum ul-
 terius instructa.*

Interea Coloniensis Clerus atque Uni-
 versitas Wormatiensis Conventus
 opportunitate utebantur, simulque ju-
 dicii acta contra suum Archiepiscopum
 in-

Steidan. l. c.
 p. 543.
 Spond. hoc
 ann. n. 7.

Sæcul. XVI. **A.C. 1545.** instruere pergebant; nam hujus Præsulis cuncta molimina eo unice tendebant, ut confictæ reformationis dogmatibus suam diœcesin corrumpere, nec non Lutheranæ hæresis Ministros ibidem foveret: dum vero Imperator Colonienfium querelas perceperat, mense Junio ad finem vergente Cæsareas ad eos dedit literas, quibus Clerum atque Universitatem suo patrocínio honorat, cunctisque suis subditis indicta etiam proscriptiois pœna inhihet, ne Ecclesiasticos, atque Coloniensis Electoratus Catholicos molestent, vel illos in sua Religione, vel in possessione suorum bonorum, ac jurium quovis pacto inturbent. Aliis deinde literis Cæsar Archiepiscopum citabat, ut intra trigessimum diem coram ipso compareret, vel suo nomine alium mitteret, qui ad accusationum capita adversus ipsum proposita responderet, interea vero eidem præcepit, ne quidquam innovare, vel immutare auderet, sed potius cuncta, quæ hucusque innovaverat, ad pristinum statum revocaret. Idem quoque Cæsar Andernacensibus, Bonnensibus & Campananis incolis, aliisque Electoratus urbibus injunxit, nec minus summus Pontifex decima octava proximi mensis Julii die præcepit, ut Archiepiscopus, Henricus Stolbergus Coloniensis Ecclesie

siæ Cathedralis Decanus, & quinque Sæcul. XVI.
A. C. 1545.
 Canonici, omnes ex illustrissimis fami-
 liis orti, intra sexagesimum diem Ro-
 mam accederent, eoquod Archiepisco-
 po suffragarentur: illos vero, qui sese
 ejusdem ausibus opposuerant, vehe-
 menter objurgarent.

Ceterum Imperator, priusquam Con-
 ventum Wormatiensem solverat, utrin-
 que quatuor Doctores, nimirum quatuor
 Catholicos, ac totidem Protestantes,
 nec non duos arbitros, qui inter se con-
 ferrent, seligi jussit, eisque in manda-
 tis dedit, ut ineunte mense Decembri
 Ratisbonam venirent, atque ante Co-
 mitia suas consultationes inciperent.
 Insuper superiorum annorum pacis edi-
 cta innovavit, confirmavitque, ac, ne
 quid adversi tentaretur, inhibuit; Cæ-
 sareæ vero Curia, quam *Cameram* ap-
 pellant, reformationem ad proxima Co-
 mitia rejecit, interea autem hisce Judi-
 cibus suam prorogavit jurisdictionem.
 Equidem omnes hi articuli Principibus
 Catholicis probabantur, displicuit eis
 tamen illud Decreti caput, quod de col-
 loquio quatuor illorum Doctorum age-
 bat, eapropter constanter illud accepta-
 re recusabant. Protestantes quoque
 priora repetentes asserbant: *Per nos
 minime stetit, quo minus tractatum sit de re-
 ligione, quæ vero jam superius de Concilii*
Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. X. ac

Sæcul. XVI. ac Camera Imperialis recusatione diximus,
A.C. 1545. *identidem repetimus, & Spirense Decretum*
anni superioris urgemus: de cetero palam
profitemur, quod Wormatiense hoc Decre-
tum in quibus locis a Spirensi dissentit, non
admittamus.

§. LXXXI.

Bellum ab Henrico Brunsvicensi Prin-
cipibus Lutheranis nuntiatum.

Sleid. p. 545. *& seq.* Sub idem tempus Henricus Brunsvi-
 censis durante Principum Conventu
 Galliarum Regem accessit: cum vero
 inde redux nuntium accepisset, quod
 Fridericus Rifebergus in Saxonie fini-
 bus pro Angliæ Rege peditum copias
 contraheret, ipse hujus occasionis op-
 portunitate usus Francisco I. suavit, pro-
 misitque, facile se hoc agmen dissipatu-
 rum, si pecuniarum suppetiis a Gallis ju-
 varetur. Accepit ergo, ut creditur,
 aliquot aureorum millia, nec tamen Ri-
 febergum a conscribendo milite præ-
 pedire poterat, convertit tamen aurum
 Gallicum in bellum Protestantibus, qui
 Henricum suo Ducatu spoliarunt, infe-
 rendum. Equidem Imperator, cui Du-
 cis bona sequestri nomine tradebantur,
 datis mox literis eundem hortabatur,
 ut legibus rem ageret, ab armis vero
 desisteret, alias autem, si morem gere-
 re recusaret, proscriptionis pœnæ ob-
 no-

noxius effet: ast ille has Cæsaris minas flocci habuit, collectisque copiis totus in eo erat, ut ditiones sibi ereptas armorum vi recuperaret: unde Rotterburgum agri Bremensis oppidum contendit, exercitum suum copiis Bremensis Episcopi fratris sui juncturus. Verum Bremensis Senatus quasdam legiones, quæ urbem tuerentur, jam eo præmiserat, ibidemque militem præsidarium inferebat: quocirca Henricus per ditionem Luneburgensem, quem fœde devastabat, iter suum prosequi coactus in suam Provinciam rediit, ubi præprimis Stenbruccum arcem deditione cepit, postea incensis pagis, vicinisque urbibus agros sævum in modum depopulatus est. Denique ad Brunsvicenses, Hanoveranos, Mindenses, Bremenses atque Hamburgenses tubicinem decrevit, qui eisdem nuntiaret, quod confestim de injuriis Duci illatis satisfacerent, atque a conjuratione Smalcaldica (ita fœdus illud appellabat) discederent, sin vero id exequi renuerent, cuncta ferro, flammisque delenda scirent. Postea cum Dux totam Dekelburgii Comitibus Protestantibus fœdere juncti ditionem devastaverat, aliæ quædam copię, scilicet octingenti equites, ac tria pedum millia sese eidem adjunxerunt, unde Henricus his militum suppetiis au-

Sæcul. XVI,
A.C. 1545

Sæcul. XVI A.C. 1545 Ætus Guelpherbytanam arcem, quæ Ducatus sui caput erat, obsedit, populumque in fidem suam jurejurando adegit.

§. LXXXII.

Landgravii expeditio contra Henricum Brunsvicensem.

Sleidan. l. 6. Interea Landgravius septem peditum millia, nec non mille sexcentos equites præter tria cataphractorum signa collegit, ac viginti tribus varii generis tormentis instructus, Northemum usque in Calenbergensem Principatum penetravit, eique Ernestus Brunvicensis Philippi filius, ab Electore Saxone missus, mille equites, & tria peditum millia præter sex millia indigenarum, & duodecim tormenta adduxit, nec minus eisdem in auxilium venerat Mauritius Landgravii Gener, mille equitibus, ac peditum quinque millibus, nec non quibusdam belli tormentis stipatus. Verum Henricus nec expectato quidem istorum adventu mox Guelpherbytanæ arcis, cujus præsidiarii eam fortiter tuebantur, obsidionem solvit, ac inde progressus prope Calfedum castra non nisi unico milliari a Landgravio distita metatus est: Altera autem die nonnullæ Brunsvicensium equitum cohortes propius ad Northemum accesserunt, ac cum Landgravii copiis manus confere

re

re cœperunt: verum non sine dispendio Sæcul. XVI.
 repulsi ad sua castra reversi sunt, quo A. C. 1545.
 facto Joannes Brandeburgicus Henrici
 Gener' pro concilianda pace operam
 suam navare statuit, hancque in rem
 Mauritium adiit, rogavitque, ut Land-
 gravium Socerum suum ad pacis confi-
 lia inclinare vellet. Ast ille cedere re-
 cusans ajebat, se nihil absque Sociorum
 consensu moliri posse. Nihilominus us-
 que ad alterius diei vesperam ab armis
 cessatum est, spe concepta, quod Henri-
 cus conditiones sibi propositas accepta-
 turus esset. Hæc autem pacis ratio
 præscribatur, ut se neminem Religio-
 nis caussa molestaturum idonee caveret,
 simulque in Mauritiæ potestatem om-
 nes suas provincias traderet, seque
 eidem dederet, nec non damna a se il-
 lata ab integræ fidei Viris æstimata re-
 pararet.

§. LXXXIII.

*Henricus Brunsvicensis, ejusque filius
 Landgravii arbitrio relicti.*

Verum Henricus rejectis omnibus his-
 ce articulis alios longe diversos pro-
 posuit, nec non Landgravii Ministris il-
 lufit: Die autem vigesima Octobris rur-
 sus pacis colloquium desiderare videba-
 tur: ceteri autem Principes surdas præ-
 bebant aures, simulque Ducis copias

*Steid. p. 548.
 Et seq.
 Spond. hoc
 ann. n. 10.*

Sæcul. XVI. aggrediuntur, crebrisque tormentorum
 A.C. 1545. ictibus infestant: cum autem atrox u-
 trinque certamen esset, Brunsvicensis
 Dux misso ad Mauritium feciali col-
 loquii copiam petiit: Landgravius
 ad hæc nihil respondens, totum prius
 exercitum suum eduxit, aciemque in-
 fruxit, moxque in hostem cuncta belli
 tormenta non sine continenti strage ex-
 plodi jussit. Henricus rursus duos De-
 putatos ablegavit, qui itidem collo-
 quium peterent, his vero Landgravius
 reposuit: „Hæc unica est pacis condi-
 „tio, ut Henricus ejusque filius natu ma-
 „jor in meam potestatem sese dedant.”
 Acquievit Henricus, & se unacum Ca-
 rolo Victore filio suo, comitante eos
 Mauritio, subjecit Landgravio, qui Pa-
 trem his verbis allocutus est: *Quod si*
ego tuæ potestatis essem factus, non diu militi-
æ lucis usuram concederes: ego autem tecum a-
gam liberalius, quam pro tuo merito: quid
vero in mentem tibi venit, quod Cæsari non
obtemperasti, repudiata sequestratione? ni-
mirum hac via tibi tuisque recte consulisses.
 Postea ambo custodiæ dabantur, eorum
 vero copiæ arma ponere, ac polliceri
 jubebantur, quod per integrum semestre
 militare nollent, demum eisdem Land-
 gravius octodecim illa belli tormenta
 ademit, simulque, dum Stenbruca-
 nam arcem occupaverat, populum ade-
 git,

git, ut ipsi fidem suam jurejurando ob-
stringeret.

Sæcul. XVI.
A.C. 1545.

§. LXXXIV.

*Legati ad Concilium Tridentinum a
Papa nominati.*

Jam antea summus Pontifex tres Le-
gatos pro Synodo Tridenti celebran-
da nominabat, qui erant Joannes Ma-
ria de Monte Cardinalis, Episcopus Præ-
nestinus, Marcellus Cervinus Cardina-
lis Presbyter titulo S. Crucis, & Regi-
naldus Polus Cardinalis Diaconus titu-
lo S. Mariæ in Cosmedin. His Ponti-
fex itidem tres adjunxit Episcopos, Tho-
mam Campegium Feltrensem Episco-
pum, atque alterius, qui ejusdem no-
minis Cardinalis erat, Nepotem, nec
non Thomam de S. Felice Cavæ in Nea-
polis Regno Episcopum, ac denique
Cornelium Mussum ex Ordine Fratrum
Minorum, insignem Verbi divini Præ-
conem, ac Bitunti in Apulia Antisti-
tem.

Pallav. hist.
Conc. Trid.
l. 5. c. 8.
Sleid. comm.
l. 16. p. 556.
Raynald. hoc
ann. n. I. &

§. LXXXV.

Legatorum adventus Tridentum.

Vix præfati Legati fuerant nominati,
cum illico Roma profecti ineunte
mense Martio Tridentum venirent, ex-
cepto Reginaldo Polo, qui ceteris pau-
lo tardius advenerat, ut insidias, quas

Pallav. &
Raynald. l. c.

Sæcul XVI. sibi in itinere ab Henrico VIII. strui ve-
A.C. 1545. rebatur, caute declinaret. Ceterum
 summus Pontifex hosce Legatos nec
 mandato in scriptis dato, nec facultatis
 Diplomate instruebat, ratus, sat tem-
 pestive inchoato Concilio illis ejusmodi
 literas transmitti posse: Enimvero hoc
 Diploma paulo post datis die septima
 Martii literis submitit unacum quadam
 Bulla, in qua ita effatur: *Mittimus vos
 ad Concilium Tridenti antea a Pontifice in-
 dictum tanquam Angelos pacis. Plenam ac
 liberam potestatem vobis concedimus, ne au-
 thoritatis defectu Concilii celebratio & con-
 tinuatio retardetur, cum facultate præside-
 di, decreta & statuta quæcunque ordina-
 di, & in sessionibus de more publicandi, item
 proponendi, concludendi & exequendi, quic-
 quid ad errores damnandos, atque ex omni-
 bus Provinciis & Regnis extirpandi necessa-
 rium videbitur, tum cognoscendi, audiendi,
 decidendi, determinandique in causis hæreseos
 & aliis quibuscunque fidem Catholicam spe-
 ctantibus, statum sanctæ Ecclesiæ in omnibus
 suis membris tam Ecclesiasticis, quam sæcu-
 laribus reformandi, pacem inter Principes
 Christianos stabiliendi, & alia omnia, quæ ad
 Dei gloriam & fidei Christianæ incrementum
 tendant, constituendi: cum auctoritate etiam
 quoscunque refractarios, ac rebelles cujuscun-
 que conditionis & dignitatis, imo Pontificalis
 aut Regalis, debitis censuris & pœnis Eccle-
 sia-*

stasticis coercendi, omnia denique faciendi, quæ necessaria & opportuna videbuntur ad hæreses & errores extirpandos; ad populos a Sedis Apostolicæ obedientia alienatos in Ecclesiæ sinum reducendos; ad libertatem Ecclesiasticam conservandam, & in integrum restituendam, hac lege tamen, ut in omnibus rebus de Concilii assensu procedatis.

Sæc. XVI.
A.C. 1515.

Aliud postea edidit Diploma, in quo suis Legatis facultatem concessit, vi cuius Concilium ad quamcunque aliam urbem magis commodam magisque tutam transferre possent, si forte illud Tridenti libere profequi haud valerent, ceteris vero Prælatiis indicta excommunicationis pœna prohibuit Pontifex, ne in hoc eventu Concilium continuare præsumerent. Porro Romæ quorundam erat opinio, *Pallav. l. c. c. 9. n. 4.* quod primæ Bullæ esset adjicienda conditio, qua Legati cuncta non nisi de Concilii assensu decernere possent. Verum hi exponebant, quod eorum potestas arctis nimium limitibus circumscriberetur, unde hanc clausulam deleri petierunt, quod & ipsis datum est (*).

X 5 §. LXXXVI.

(*). Hæc refert Paulus Sarpus, quem Continuator ob suspectam illius fidem allegare ausus non est: citavit quidem Pallavicinum, omisit tamen ea, quæ ad hujus historiæ veritatem potissimum conducunt; hic enim Scriptor hæc habet: *Aliud hic addit Suavis ex falsa narratione, Afferit, cum Diplomati legationis*

con-

Sæcul. XVI.
A.C. 1545.

§. LXXXVI.

Mendoza Cæsareus Orator Tridenti.

Pallav. l. c. n. 9.
Rayn. n. 4. Ingrediebantur Tridentum solemn
pompa Cardinalis S. Crucis & Mon
tanus, quos solus Cardinalis Madrutius
præfatæ urbis Episcopus comitabatur.
Hi autem plenam noxarum veniam pro
mulgabant omnibus & singulis, qui pec
cata sua rite sacra exomologesi expiave
rint, eoque die, quo Concilium inchoa
bitur, Cathedralem Ecclesiam pie visita
verint. Postea idem hoc templum pro
Sessionum loco seligebant, paucis vero
post diebus præfati quoque tres Episcopi
advenerant, demum vero die vigesima
secunda Martii Didacus Hurtado de Men
doza apud Rempublicam Venetam Cæ
saris Orator urbem ingressus est amplif
sima agendi facultate die vigesima Fe
bruarii concessa instructus. Hunc Papæ
Le

*conditio esset apposta, ut nimirum Legati ex
Patrum consensu rem gererent, sublatam po
stea fuisse Legatis petentibus, qui tanquam
noxium Pontifici proposuerunt, si a Præsulum
arbitrio res ita penderent. Petiere quidem
Legati, ut ea conditio deleteretur: ac primo
Romæ responsum, esse delendam: sed postero
ribus literis oppositum perscriptum; cum ob
servatum fuisset, iis illam conceptam verbis,
quibus eorum potestas proponendi, dirigendi
que minime circumscriberetur, sed solum pro
ferendi sententiam, ac decernendi, quæ procul
dubio Episcoporum exigebant consensum.*

Legati excipiebant, comitantibus eos Sæcul. XVI.
A. C. 1545.
duntaxat Madrutio Cardinale, tribusque

Episcopis; hi enim soli aderant, cum ceteri nondum Tridentum venissent. Quarto post die seu vigesima sexta ejusdem mensis in ædibus atque aula Montani Cardinalis Mendoza ad Legatorum alloquium admittebatur, ubi mandati sui literas proferens sermonem habuit, in quo præclaram Cæsaris ad celebrandum Concilium voluntatem, nec non ejusdem studium in evocandis ex Hispania Episcopis, quos jam in itinere constitutos se credere ajebat, commendabat, simulque convocationis præter voluntatem præpeditæ moram excusabat, declarans, quod Cæsar huic Concilio ipso interesse ardentè desideraret, adversa tamen valetudine, graviumque negotiorum copia prohibitus hoc iter aggredi haud posset. Postea hæc subjunxit: „Ipsus ego morbo „pressus aliquot diebus adventum meum „differre fui compulsus. „ His dictis demandatæ facultatis literas prælegi jussit.

Altera die vigesima septima Martii Legati in præfata aula habito Conventu hæc Cæsareo Oratori in responsis dederunt, quod summam reponerent fiduciam in Cæsaris pietate, unde sperarent, quod cuncta pro Religionis incremento præstiturus foret.

§. LXXXVII.

Sæcul. XVI.

A.C 1545.

§. LXXXVII.

*Romanorum Regis Legatus Tridenti.**Pallav. &
Raynald. l.c.*

Die octava Aprilis Romanorum Regis Legatus Tridentum venit, moxque pro eo solemniter excipiendo habita fuit Congregatio, in qua Legatus Ferdinandi Regis literas WORMATIÆ die vigesima quarta Martii datas exhibuit. In his Rex omnia sua officia, animumque ad promovendam Synodum promptissimum testabatur, idque Legatus viva voce confirmabat, pollicitus, quod Romanorum Rex quantocius mandati sui uberius explicati literas unacum Viris de ejus mente plenius instructis sit transmissurus. In alia Congregatione Mendoza, qui ibidem præfens aderat, de loci prærogativa cum Cardinale Tridentino contendebat affirmans, quod Cæsaris vices agens nulli nisi Legatis, Papæ partes sustinentibus cedere posset, cum solus Pontifex Imperatore superior sit. Verum hæc contentio brevi composita fuit; quippe tam Cardinali quam Oratori talis sedendi ordo fuerat assignatus, ut haud facile dignosci posset, uter eorum alteri præcederet.

§. LXXXVIII.

*Legati Synodum inchoare a Papa jussi.**Pallav. c. II.
n. 1. & 6.*

Hucusque Legati admodum dubii hærebant, utrum Synodo initium dandum esset, eo quod illis ferme solis Tridenti

ti agentibus a tam exiguo Patrum nume- Sæcul. XVI.
 ro Concilium haberi haud deceret: Re A.C. 1545.
 igitur in incerto posita datis ad Papam li-
 teris eidem hæc exponunt: „ Cæsar de
 „ Synodi celebratione parum sollicitus
 „ esse videtur, præterea timendum, ne
 „ idem religionis negotia in Comitibus Ra-
 „ tisonæ indictis dijudicare aggredia-
 „ tur, quapropter haud inconsultum fore
 „ censemus, si Missa de Spiritu sancto pro
 „ solemnibus Synodi initio, priusquam Cæsar
 „ ad Comitibus accedat, decantetur; hoc
 „ enim pacto cuncta, quæ Cæsar in Ratis-
 „ bonensi conventu circa religionis nego-
 „ tia esset decreturus, præverti poterunt,
 „ ac insuper semper magis liberum erit,
 „ Synodum vel prosequi, vel interrompe-
 „ re, vel exigente rerum temporisque ra-
 „ tione aliorum transferre. „ Papa di-
 „ scussis hisce rationibus Legatis suis præ-
 „ cipere statuit, ut tertia Maji die inventæ
 S. Cruci sacra Concilium auspicarentur.

§. LXXXIX.

*Synodi celebratio Pro-Regis Neapo-
litani literis dilata.*

Accepto Pontificis mandato Legati *Paul. J. 5. c. 10.*
 Mendozæ, aliisque Oratoribus Papæ
 voluntatem manifestam fecerunt, diem
 vero præstitutam reticuerunt. Equidem
 Papæ Legati immoto studio Synodum in-
 choari urgebant, nihilominus indicta die

Pon-

Sæcul. XVI. Pontificis iussa adimpleri haud poterant,
A.C. 1545 Petrus enim Toletanus Neapolis Pro-
 Rex nullatenus permiserat, ut omnes huius
 Regni Episcopi ad Concilium pergerent, ne eorum Ecclesiæ Pastoribus orbati
 relinquerentur: eapropter quatuor duntaxat Præsules esse feligendos statuit, qui
 ceterorum nomine mandata ad Synodum deferrent. Hoc suum consilium Pro-Rex
 per supremum Regni Sacellanum jam antea pluribus Episcopis significari iusserat,
 hi vero una omnes eidem hæc repofuerunt: *Nos jurejurando obstricti sumus, ut
 coram Concilio nos sistamus, si vero nostrum aliqui eo accedere non possunt, æquum est, ut quisque
 ex animi sui conscientia sibi seligat Procuratorem, non autem ut in unum omnes consentiant.*
 Hoc responso Pro-Rex tam impotentis ira concitabatur, ut Episcopos per præfatum
 Sacellanum convocaret, eosque ad expediendas Procurationis literas adstringeret,
 nec non eadem mandata cunctis urbium Gubernatoribus per univ-
 ersum Regnum daret. Ea res summo opere displicuit Pontifici, prorsus ignaro, ex qua
 demum caussa hæc mutatio fuisset profecta, unde, quid consilii caperet, incertus
 hærebat: ut tamen huius mali fontem detegeret, præprimis Legatis suis præcepit,
 ut Synodum celebrare differrent, ac postea edito Diplomate, ne Episcoporum ullus
 tantum per Procuratorem Concilio interesset

esset, prohibuit, & iussa exequi negligentibus suæ Ecclesiæ regimen, bonorum redditus, sacraque interdixit. Hoc Pontificis mandatum, quamvis sat rigidum videretur, effectui tamen dabatur, usque dum Pro-Rex a temerario ausu suo desisteret, ita tamen, ut hujus edicti severitatem relaxare, si bene visum fuerit, summo Pontifici integrum esset. Hanc ob rem Procurator a Moguntino Archiepiscopo decretus admittebatur; nam hujus Præsulis absentiam validæ excusabant rationes, cum ejus opera in Germaniæ Comitibus ad hoc summopere necessaria esset, ut sese cunctis in fidei damnum attentandis opponeret.

§. XC.

Farnesius Cardinalis Wormatiam contendens Tridentum pertransit.

Interea Cardinalis Farnesius Roma Wormatiam iturus die vigesima Aprilis Tridentum venit, ibidemque de Synodi rebus cum Papæ Legatis contulit. Hi ergo datis literis Pontifici hæc exponebant: „Exigit Sedis Apostolicæ honor, ut Synodus ea, quæ tam celebrem confessum decet, Majestate celebretur: cum vero Episcoporum non pauci ob inopiam etiam necessariis careant, haud abs re foret, si Quæstor constitueretur, eique daretur pecuniarum summa, qua necessitatibus hinc inde occurrentibus prospici-

„ Gi

Sæc. XVI.
A. C. 1545.

Sæc. XVI.
A.C. 1545.

„ci posset.„ Postea cum eodem Legato de inchoando Concilio actum fuit, præcipue cum jamjam decem Episcopi Tridentum venissent, hinc Pontificis mandatum illis exponendum Legati censebant, de die autem, quem Papa Synodi initio præfixit, nihil decernebant: Rebus igitur ita dispositis habebatur Congregatio, in qua Prælati expositum fuit mandatum de inchoanda Synodo, simulque eisdem significatum, quod dies primum esset definienda, postquam Farnesius Cardinalis hac super re cum Cæsare egisset. Placuit cunctis hoc consilium, unde Pontifex Legatis suis Diploma suspensionis, ut ipsi petierant, transmisit, nec non ipsorum prudentiæ Synodum absque novis mandatis auspicandi libertatem commisit, quamprimum ipsis per Farnesium Cardinalem suum nepotem innotuerit, quæ hac in re Cæsaris sententia esset.

§. XCI.

Decreta circa Synodi ritus.

In eadem Congregatione agebatur de quibusdam ritibus, quos in Synodo observari oporteret, ac præprimis statutum, quod *tres illi Cardinales Legati, quamvis ex distinctis essent Ordinibus, unus scilicet Episcopus, alter Presbyter, & tertius Diaconus, iisdem tamen vestibus ornati comparerent, cum eos muneris auctoritatisque similitudo jungeret, postea fuit decretum, ut Sessionum locus in*
Ec-

Ecclesia Cathedrali aulæis exornaretur, nec non Pontifici ac Cæsari, quantumvis absentibus, sedes designaretur, Mendozæ vero Cæsaris Legato ceteris honoratior tribueretur locus. Tum etiam de loci prærogativa agebatur; Episcopi enim Germaniæ, cum pariter & ipsi essent Imperii Principes, id sibi deberi asserebant, ut non Episcopos modo, sed aliarum etiam nationum Archiepiscopos præcedant, cum id in Ordinum Imperii conventibus usu veniat, ac insuper Episcopi, qui non sunt Imperii Principes, non nisi detecto capite illos affari soleant. Hanc in rem recensebatur, quod anno superiori inter Eychstetensem Episcopum, & Corcyrensem ac Hydruntinum () Archiepiscopos ejusmodi contentio fuerit exorta, his addebant alii, quod in ipso Pontificis sacello Episcopi, si Ducum sunt Oratores, Archiepiscopos præcedant, eoque multo magis ipsis Principibus ea eminentia debeatur: nec tamen visum fuit Patribus, quicquam de hac controversia decidere, totumque hoc negotium rejiciebatur ad tempus, quo frequentior esset Patrum Senatus, atque Hispaniæ & Franciæ Legati adventassent, quorum sententiæ hac super re exquiri possent.*

§. XCII.

Legatus a Synodi inchoatione a Cæsare præpeditus.

Post-

(*) Paulus Sarpus, ex quo Continuator totum descripsit, habet Tarentinum, quod ab Hydruntino longe diversum est, Tarentum enim est Hydruntinæ Provinciæ urbs.

Hist. Eccles. Tom. XXXVIII.

Y

Sæc. XVI.
A.C. 1545.

Pall. l. 5. c. 12.
#. 1. & 2.

Postquam Farnesius Cardinalis hortantibus Tridentinis Patribus Wormatiam venerat, mox Cæsarem ac Regem Romanorum adiit, diuque cum utroque Principe de celebranda Synodo contulit, hæc exponens: „Legati, qui jam ultra bi-
„mestre Tridenti hærent, tandem Syno-
„dum aperiendi potestatem a Papa rece-
„perunt, illam tamen hucusque semper
„distulerunt, donec de rebus in Ratisbo-
„nensi conventu gerendis nuntium acce-
„pissent. „ Ad hæc Imperator, qui antea,
ut inquit Pallavicinus, se Concilii aucto-
rem ostentaverat, dum illud Germanis ac-
ceptum crediderat, tunc alio jam vocem
deflexit, Legatoque respondit: „ Mihi sat
„persuasum est, quod hæresibus, quæ uni-
„ce ad meam & Pontificiam auctoritatem
„penitus evertendam collimant, prom-
„ptum sit opponendum remedium, nec
„tamen propterea irritandi sunt Prote-
„stantes, quorum potentia merito formi-
„danda est. „ His dictis Cæsar Legatum
ad Granvellanum misit, ut ab eo de illius
sententia plenius instrueretur: verum Far-
nesius nec ab illo magis liquidam accepit
notitiam; Granvellanus enim hæc duntaxat
Legato exposuit, quod Protestantes,
cum in hoc Concilio suam doctrinam con-
demnari facile prospicerent, abs dubio ad
arma sint conclamaturi, non modo, ne in-
ermes ipsi deprehenderentur, sed ut Ca-
tholicos opprimerent, bellumque in Ita-
liam

liam inferrent, quin imo timendum, ne for-
 te Romam, Religionis arcem, sibi semper
 exosam sint invasuri: his igitur malis
 prospicere Pontificis est, eo potissimum
 nomine, quod nullum auxilium a Catho-
 licis Germaniæ Principibus quibus nervi
 animique deficiunt, sperandum sit, Cæsa-
 ri quoque, qui tot thesauris in bella, præte-
 rita profusis exhaustus est, nil reliqui ma-
 neat, quod offerat, nisi se ipsum. Eadem
 ferme Romanorum Rex præsentis Othone
 Truchsessio respondit Cardinali Legato.

Farnesius mox Cæsar's artificia detexit,
 atque haud obscure intellexit, quod ejus
 consilia eo abirent, ut dilata Synodo cun-
 cta, quæ posset, subsidia a Protestantibus
 extorqueret, vel saltem Pontificem indu-
 cere posset ad suppeditandas pecuniarum
 & militum suppetias, quibus eosdem, si
 hostilia molirentur, in officio continere
 posset: e contra vero Synodo jam semel in-
 choata Cæsar merito timeret, ne Prote-
 stantes ultra in comitiis comparere, vel
 ea, quæ præstare rogarentur, concedere
 renuerent, pro in Concilium differre inten-
 deret, illud vero vel inchoare vel dissolve-
 re, prout rerum suarum ratio ac vicissitu-
 do exigit, eidem liberum esset: verum hæc
 Cæsar's consilia Legatum eo majori ad-
 miratione defixum tenebant, quo minus
 eidem tunc periculum a Turcis immine-
 ret, cum Galliarum Rex Constantinopo-
 lim Oratorem decrevisset, qui cum Sulta-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1545.

Sæcul. XVI. no de induciis ageret. Posthæc idem Le-
 A.C. 1545. gatus sermonem deflexit ad illa mandata,
 quibus Neapolis Pro-Rex hujus Regni E-
 piscopis ad Concilium accedere inhibuit:
 Ad hæc autem reposuit Imperator, id se
 incio fuisse attentatum, de cetero hujus
 Pro-Regis rationes se sedulo discussurum.

§. XCIII.

Legati ob Cæsaris molimina turbati.

Pallav. l. c.
n. 6. & 7.

Cuncta hæc Farnesius Tridentinis Lega-
 tis significabat, unde illi Synodi cele-
 brationem omnino maturandam esse pro-
 be prospexerant, ut quantocius omnibus
 Cæsaris consiliis obviari, ejusque molimi-
 na præverti possent: Hanc ob rem datis
 ad Papam literis eidem exponebant, quod
 graviter commoti essent malis, quæ ex
 Concilii dilatione nasci possent, cum abs
 dubio Pontifex infimularetur, quod pro-
 missorum facilitati raro operis constantia
 fidesque adfuerit, si vero, prosequerentur
 Legati, Synodus in vitis Principibus cele-
 bretur, tunc sat exiguus erit confluentium
 numerus, nec ipsum etiam Concilium di-
 ci poterit Oecumenicum, cum Episcopi,
 qui in horum Principum dititionibus Ec-
 clesias regunt, abs dubio a Synodo abes-
 sent. Postrema hæc ratio ceteris prævale-
 re videbatur, eo quod Galliarum Rex pa-
 rum Synodo faveret, ejusque Legatus Gri-
 gnanus nomine, potius Doctorum consul-
 tationem de fidei articulis constituendam
 quam Synodum esse celebrandam Wor-
 matiaë enuntiaffet.

Ce-

Ceterum exeunte mense Majo præter Sæchl XVI.
A.C. 1545.
 quinque supremos Ordinum Generales, unumque Rotæ Auditorem jamjam Tridenti convenerant triginta Episcopi, qui avidè Synodum inchoari præstolabantur, & vix non redire erant parati, nisi a Legatis fuissent detenti, facta eisdem pollicitatione, quod Concilio initium brevi dandum esset. Nihilominus Mendoza Caroli V. Legatus quæsito adversæ valetudinis obtentu Venetias reversus est, Pontificios tamen Legatos rogavit, ut ante reditum suum, quem promptissimum fore pollicebatur, Synodum non inchoarent; præferat enim, quod Imperator segnius Synodi celebrationem urgeret, cunctaque differret, atque in incerto relinqueret, veritus, ne Protestantes irritaret.

§. XCIV.

Synodi initium per Papæ Deputatos Cæsari propositum.

Hæc Cæsaris tergiversatio haud levibus Pall. l. 5. c. 15.
n. 2. & 5.
 curis afficiebat Pontificem, quapropter ad eundem ablegavit Hieronymum Dandinum Casertensem Episcopum, qui vel Synodum inchoari, vel ad tempus differri Carolo Cæsari proponeret, si vero neutrum eidem probaretur, saltem eundem ad Concilium in Italiam transferendum inclinaret: verum Cæsar nec Synodi dilationem, nec illius translationem sibi probari respondit, interea tamen propositis quibusdam obstaculis illius in-

Sæcul. XVI.
A.C. 1545.

choationem præpedire nitebatur; comitiorum enim, quæ ad proximum mensem Junium Ratisbonæ celebranda indixerat, successum præstolari cupiebat: tandem vero mense Octobri ad medium vergente consensit, ut Concilio initium daretur, dummodo nec de fidei articulis, nec de alio quocunque argumento, quod Lutheri hæresin spectat, ibidem ageretur, sed unice de morum emendatione mentio fieret, verebatur enim Imperator, ne Protestantium animi magis exacerbarentur. Porro quamvis ejusmodi condiciones vel ideo Pontificis iram provocarent, eo quod hæc ratione victæ fere manus Lutheri fautoribus darentur, eorumque factio novis firmaretur incrementis, indignationi tamen suæ imperabat, suoque Nuntio in mandatis dabat, ut in Cæsaris obsequium sine ulteriori mora Synodum auspicaretur, cunctisque fidem daret, quod plena ibidem libertas omnibus concederetur, moreque solito cuncta peragerentur, quin de argumentorum ordine ulla fieret mentio, sive demum primo de disciplinæ emendatione initium daretur, sive præ ceteris aliis quæstionibus controversi dogmatum articuli discuterentur.

§. XCV.

Concilii inchoatio Pontificis diplomate die decima tertia Decembris indicta.

Pallav. l. c.

Die trigesima prima Octobris summo Pontifex ad suos Legatos diploma trans-

transmisit, in quo hæc continebantur: Sæcul. XVI.
 „Quoniam die Dominica *Lætare* seu quar- A.C. 1545.
 „ta jejunii verni Dominica Concilio ini-
 „tium dari haud potuit, omnino inchoan-
 „dum erit die decima tertia Decembris,
 „in quam incidit tertia Dominica anni-
 „versariæ adventantis Christi memoriæ;
 „ea vero potius selecta est Dominica, quia
 „illius Missa initium sumit a verbo *Gaude-*
 „te, ut gaudium significaretur, quo ex tam
 „felici Nuntio tum Præsules Tridenti a-
 „gentes, tum universa Christiana respu-
 „blica afficeretur. „ Enimvero Episcopi
 tanto majori perfundebantur lætitia, quo
 vehementius pertimescebant, ne longo
 adhuc tempore Tridenti re infecta hære-
 re compellerentur. Præterea separatim
 Legati illud receperunt diploma, quod ad
 acta referri, atque in eo declarari postula-
 bant, longiorem Concilii moram eis vitio
 haud vertendam, nunc vero post matu-
 ram deliberationem Sessionibus initium
 esse dandum. Denique Germaniæ Epi-
 scopis Synodum per suos Procuratores
 accedendi libertas fuit indulta, eo quod
 invalescente hæresi eorum præsentia in
 Diocæsibus summopere necessaria esset:
 ne vero ceteri Prælati hac indulgentia ab-
 uterentur, hinc data est Legatis facultas,
 ut hujus privilegii concessionem pruden-
 ter ac circumspicte juxta veram uniuscu-
 jusque necessitatem dispensare valerent.

Ceterum Legati nova identidem anxie-

Y 4

tate

Sæc. XVI.
A. C. 1545.

*Memoir. Es
instruēt. du
Roi touchant
le Conc. de
Trente in 4.
à Paris 1654.
p. 20.*

tate agitabantur, eo quod Galliarum Rex Claudium Urfeum Forensem Gubernatorem, Jacobum Linierum Parisiensis Curiae Præsidem, & Petrum Danesum Sezauniensem Præpositum, quos jam die tertio Maji tanquam suos Procuratores ad Concilium ablegaverat, rursus ea de causa revocasset, quod Regni sui Præsules Regi significassent, ob nova obstacula in dies mota nullam futuri Concilii spem superesse. Cum autem Legati hanc revocationem interpretarentur, perinde ac si Rex Synodum ratam habere nollet, hinc horum Oratorum discessum præpedire omnibus viribus adlaborabant, eisdem exponentes, quod Galliarum Rex sententiam suam abs dubio mutaturus esset, præsentem rerum vicissitudinem satis perspectam haberet. Accessere etiam Hispaniæ & Italiæ Episcopi, qui unacum Fapæ Legatis Galliarum Oratores ibi detinere nitentur: imo ipse etiam Granvelanus his operam suam junxit, atque una omnes Gallorum discessum reprobantes haud abs re fore existimabant, si Claudius Dodieus Rhenensis Episcopus, unus ex tribus illis Franciæ Episcopis, qui Tridentum venerant, solus ad Galliarum Regem decerneretur, eumque de tota rei serie certiolem faceret, reliqui vero duo, nimirum Aquensis, & Agdensis Episcopi Tridenti persisterent. Hoc etiam consilium Rex postmodum ratum habuit.

HISTO-